
DE SANCTIS FRANCIAE CANCELLARIIS SYNTAGMA HISTORICVM.

F. FRANCISCVS LANOVIVS, ex Ordine Minimorum, recensuit & Notis substrinxit.

Atque vno alteróque Schediasmate de Cancellariis amplificauit.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY Typographum Regium, via Iacobæâ, sub Ciconiis.
M. DC. XXXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ad Usum Fris Fran.ci Junioris ab Angolaidis



INCLYTÆ SAPIENTIÆ,
PROBITATIS ET RELIGIONIS
VIRO
TOGATORVM
EMINENTISSIMO
DOMINO
PETRO SEGVIERO
FRANCIÆ
PROCANCELLARIO.



ΕΥΝΟΜΟΘΕΣΙΑΝ ΚΑΙ ΕΥΠΡΑΞΙΑΝ.



OCCVPAVIT Te Dignitas actuosissima de quiete cogitantem, quod rarum est, Togatorum Eminentissime Seguiere. Occupas Tu illam, quanta quanta est, omni officio ac sedulitate, quod perfectum est. Atque dum illius per Te nihil vacat, per illam vt Tibi vaces

etiam impetrasti, quod felicissimum est. Ita nimirùm beatæ quæ nunc est vitæ magnitudinem, ipse tu Tibi, (quod negotium Sapientis est palmarium) fabricasti. Quid enim? Si amplissima ciuilium, imò & eminentissima Dignitas, non ambienti equidem, sed nec desideranti, vel etiam non cogitanti delata est, merito tuo præuerteras beneficium Optimi & Iustissimi Regis, atque suffragium præpotentis illius & omnia dispicientis nostræ Galliæ Genij, quem præter superiorum temporum felicitatem Cœli Prouidentia in gentis nostræ gloriam visibili specie præsentem rebus adesse voluit. Si Te Princeps Optimus præter cæteros in eundem secum consessum adlegit, fecit ex dignitate bonitatis suæ, vt Optimo, eum quo meliorem neminem esse sciebat, in tanti honoris consortium adsciscerет. Si summam Tibi Iudiciorum Orbis ille Arbiter & Regum Iustissimus Princeps noster commisit, fecit quod pro Iustitiâ suâ fecisse aliter non potuit, vt ancipitem Iudiciorum aleam illi crederet, quem nouerat vnum ex omnibus æqui boníque obseruantissimum esse. Si Te Gallicus ille in

purpura Genius (quod enim aliud homini diuino nomen?) ad faſtigium iſtud honoris primo quoque momento deſtinauit, & actutùm Regi commendauit; ſic in eo perſpicientiam ſuam patefecit omnibus hominum Ordinibus, vt cùm in aliis rebus reliquos mortales eâ parte animi, quæ maxima eſt, antecellat, iam nunc aliquid præter ſolitum ac ſupra ſeipſum edidiſſe videatur. Verùm & Tu emicante Virtute tuâ Iudicium eius ita defixeras, vt vacillare non poſſet: adeóque manet Te hæc gloria quæ ſuperſtitum alteri non obtigit, ſuffragatorem Tibi à ſeipſo quidem acceſſiſſe diuini præter alios mortales iudicij Heroëm, ſed neceſſitate quadam Virtutis tuæ inuitante. Tantùm ſcilicet in ampliſſima Togatorum multitudine antiſtabas, tantùm eminebas. Quod ego veritus eſſem efferre, prohibente modeſtiâ tuâ,& retardante ingenitâ mihi verecundiâ, cui aſſentationis ſuſpicione nihil grauius accidere poſſit, niſi publicâ omnium Ordinum gratulatione (quos ad hunc nuncium plenis viis effuſos, & in domum tuam irruentes, cùm iam ſe capere ipſi non poſſent mirabundi aſpeximus) ſic

acceptum esset Principis augustissimi beneficium, sic laudatum Incomparabilis Heroïs iudicium, quasi ad omnes singulatim pertineret, vniuersorúmque vota in Te vno includeret, vt qui minus aliquid de tuâ virtute prædicauerit, iniurius esse his simul omnibus censeatur. Et vsquedùm tamen ex anteactæ vitæ meritis tua Tibi tantáque fama constabat: & quod de Te hominum opinio præsumpserat, id suorum votorum & tuæ in futurum Administrationis mensuram statuebat. Enimverò, ex quo sublatus es in illud ciuilis gloriæ theatrum, aut veriùs solium, pro modo tantæ Dignitatis Virtutes Tibi & ingenij atque animi dotes accreuerunt. Etsi enim capere incrementum, quantum est (quod Philosophi dicunt) ad speciem, non poterant, habuerunt tamen ampliorem multo augustiorémque palæstram, in quâ vim suam exsererent, séque ipsas exercerent. Etsi pro naturæ conatu & humanâ curâ excoli perfectiùs non poterant, à Deo certè, qui hominum facultatem rebus quas habent ex officio agendas, pro suâ voluntate admetitur, altiùs efferri latiúsque pandi (provt

etiam videmus) potuerunt. Quod verbo quidem comprehendam si dixero, prætergressum Te Antecessorum gloriam tanto interuallo, vt Procerum quidem expectationem, quoad per hominem licet, expleueris, populi verò vota & desideria excesseris, hoc est, perfectâ virtute Odium simul atque Inuidiam confeceris. Quod videri dubium non potest, iis qui hominum voces velint exaudire. Nam & qui rebus Imperij operam suam nauant, Te augustissimum dignitatis Francicæ tutorem, fidissimum Gallicæ Maiestatis sequestrum, & publicæ felicitatis arbitrum solertissimum agnoscunt: & qui Iuris ac Iustitiæ responsa dant hominibus, Te legum vindicem & conditorem acerrimum, Antistitem Iustitiæ religiosissimum, Monarcham iuris prudentissimum, atque oraculum Themidis disertissimum prædicant: & qui res suas priuatim agunt, Te felicissimum quietis ac tranquillitatis quæ ad populos deriuatur adiutorem, æqui bonique Diffinitorem suauissimum, ac principalium Beneficiorum liberalissimum dispensatorem profitentur. Habent Te nimirùm Ecclesiæ perpetuum

ſibi protectorem & patronum, Academiæ curatorem, Monaſteria parentem, Viduæ & Orphani defenſorem, Pauperes benefactorem: adeò per omnia, quæ deſiderari poſſunt in ampliſſimâ dignitate, officia, tua ſe Virtus approbauit. Magnum id ſanè ac perfectum! Sedenim cum Virtute ac Fortunâ, etiam Tibi Felicitas adſpirauit, quam ij demùm poſſunt æſtimare, qui poſſunt & de Deo ſentire quod dignum eſt. Qui ſenſus cùm ad paucos poſsit pertinere, non temerè in vulgus effabor quæ audire quidem poſsit, non tamen capere. Seguierus Franciæ Procancellarius inter diſtrictas publicarum rerum occupationes apud ſe habitat, animum ſuum poſsidet, à Deo non diuertit. Hoc proloqui ad omnes poſſum, ſed quàm facilè ſonus eorũ verborum ad aures accidit, tam difficulter eorum ſententia in animum perlabitur. Sapientia quidem, quâ in paucis excellebas, ampliſſimam Tibi Dignitatem promeruit. Probitas quam omni officio nunc exhibes, & pro menſura tuæ Dignitatis explicas, animos tenuium pariter ac magnorum Tibi conciliauit. Religio quæ Tibi virtus maximè propria, vt omnium
præ-

præſtantiſſima eſt, ſic pretium apud homines habere non poteſt; eum ſolum, cui ſe intemeratam ſeruat, remuneratorem ambit. Intereſt tamen quàm maximè, vt quæ Virtus ſic ad alias comparatur, quaſi ſuo illæ nomine indignæ ſint, ſi cùm omnes adfuerint vna hæc deſit, ea potiſsimùm hominib. commendetur, & ſummam laudationis in eo quẽ celebramus perficiat. Primùm enim ad exemplum peruerſis qui hodie viuunt hominibus neceſſarium: alterum ad abſolutam laudem omninò pertinet. Sed quantò illa eſt, & per ſe ſplendidior, & ad orationis copiam fœcundior, tantò eloquendi voluntatem præſtringit magis, atque dicendi poteſtatem obtundit. Succurrit autem non vanum equidem & inane conſilium, dum me virtus illa facultáſque deficiunt, vt quod verbis ſcilicet non poſſum, id rebus ipſis efficiam. Deceſſores nimirùm tuos, qui pietatem ſuam indubitato Sanctitatis elogio ſanciuerunt, ab antiquâ memoriâ repetam, ſicque producam, vt qui velint intelligant, iam olim mortuos viuam nihilominus imaginẽ tuam referre: ſiue me aliter loqui malint, vt etiam qui minimè velint, eorum Te mores

ẽ

ita exprimere fateantur tanquam rediuiuos illos habeamus. Recognoſcent nimirùm, tuam in Melanio, qua Regi noſtro, ſicut ille Clodoueo, coniungeris, familiaritatem & bonitatem; in Romano popularitatem (vt ita loquar) & religionem; in Landerico liberalitatem & ingenuitatem; in Audoëno fidei & ſanctæ Philoſophiæ amorem; in Cuniberto magnanimitatem atq. fidelitatem; in Bonito ſapientiam & rerum diuinarum æſtimationem; in Anſberto pietatem & conſtantiam; in Godegrando magnificentiam & animi præſtantiam. Hæc erunt pignora beatitudinis quæ te circumſtat, tum verò magis eius quæ in animo reſidet. Octo quidem illi ſunt, quo numero perfecta Chriſtianis beatitudo conſtat. Verùm & Epiſcopi ſunt, non nemo excipiet; ſed expedita reſponſio: Itâ Iudices egerunt atque Cancellarios, vt non eſſent digniores qui Epiſcopi fierent, quod non tantùm ad Dignitatis quam priùs geſſerunt commendationem facit, quantum nos præterea docet, decere imò & debere Dignitatis eius viros tãquam Epiſcopos agere, vt præcipuam nempè, pietatis, pacis, & religionis curam habeant. Hoc

Tu animo, Eminentissime Seguiere, hoc studio & exemplo, si tot illos Sanctos reddere ac exprimere pergis, poteris videri non indignus, qui aliquando ad octo illos nonus annumereris. Quam Tibi temporariæ felicitatis coronam optat, & hoc se Tibi voto consecrat pro suo & familiæ cui nomen dedit studio

EMINENTISS. DOM. VESTRÆ

Addictissimus & deuotus,
F. FRANCISCVS DE LA NOÜE
ex Ordine Minimorum.

E domo vestrâ Parisiensi eiusdem
Ordinis ad Plateam Regiam die 12.
Aprilis an. 1634.

Maiores super emines Segueri,
Sed Maioribus eminentiores
Nulli sunt nisi purpura nitescant,
Iam nos cedimus Eminentiorem.

HABERE *bonum, iustum & bonæ famæ Cancellarium, dignitatis regiæ non mediocris pars, regiæ administrationis non paruum adminiculum, regiæ conscientiæ non exigua custodia est.* Ex S. BERNARDO.

LECTORI.

CONSILIVM *huius lucubrationis ex animo profitendæ obseruantiæ meæ in summum & eminentem virum, grauioribus studiis intento succurrit. Et id quidem quam subitò se ingeßit, tam breui perfectum est. Operosum fateor non fuit hoc scripti genius, non eo tamen minus ad mentem meam & officium quod volebam accommodatum, & hoc ego potißimùm spectaui. Operæpretium est vt de reliquo nonnulla quæ ad ipsum opus pertinent submoneam.*

Eminentißimi titulus, quem adhibita restrictione vsurpaui, Cancellario inter Togatos proprius est, & ad eum à Quæstore Palatij translatus, vt nouum videri non poßit aut insolens, quod antiqua & certa origine nititur.

Episcopos tantùm inscripsi earum sedium Antistites, qui iam nunc Archiepiscoporum nomine aucti sunt, morem ætatis quâ illi vixerunt, & eorum ipsorum autoritatem quam suis subscriptionibus in Conciliis firmarunt secutus, vt ne quis emendandum putet.

Tempus Regum ſingulis aſcripſi, ſub quibus Cancellarios egiſſe creduntur, licet vitam vlterius protraxerint: id enim magis è re noſtra fuit.

At quod ſub eodem Rege ac intra breue tempus non vnus fuiſſe qui Cancellarium egerit colligitur, non poteſt mirum videri recolentibus eorum temporum morem quem eruditi obſeruant, Cancellariorum ſcilicet functionem fuiſſe temporariam & arbitrariam, qualis nunc ſolet eſſe Procancellariorum, quod argumenta non pauca manifeſtant.

Plures tranſcribere in Sanctos aut beatos noſtros in expedito fuit, quod te alterum ad calcem Schediaſma docebit, cur tamen haud fecerimus, in Schediaſmate ipſo per occaſionem ſignificauimus. Syllogen Criticam quam aliquando laudauimus, Schediaſmate commutatam non miraberis, ſi velis meminiſſe tempori eſſe datum quod operi lucubrando ſubtractum eſt. Atque hæc pro lucubratiuncula modo præfatum eſſe, ex re Lectoris meáque fuerit.

SVMMA FACVLTATIS RR. PP. Generalis & Prouincialis.

REVERENDVS admodùm P. *Franciſcus à Longobardis* Ordinis Minimorum Generalis, mihi F. *Franciſco de la Nouë* facultatem fecit edendi cùm varia in ſpecie opera, tum verò inter cætera etiam Syntagmata de diuerſis, è quibus vnum iſtud eſt, modò à duobus noſtri Ordinis Theologis à R. P. Prouinciali Franciæ deputandis approbentur per litteras dat. *Anconæ* in noſtro *S. Primiani* Conuentu die 6. Iunij 1632. Et in huius quidem libelli editionem conſenſit R. P. *Antonius Dupro* Franciæ Prouincialis per litt. dat. Nigeoni die 12. Aprilis an. 1634.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOS ſubſignati Doctores in ſacra Theologiæ facultate Pariſienſi, libellum qui inſcribitur, De Sanctis Franciæ Cancellariis Syntagma Hiſtoricum, Notis ad hiſtoriæ lucem & fidem illuſtratum à F. Franciſco de la Nouë, *&c. accuratè legiſſe teſtamur, nihilque in eo deprehendiſſe quod fidei Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ aduerſetur; imò ad ſupradictorum Sanctorum commendationem multum facere iudicauimus. Datum 3. Non. April. an. 1634.*

L. MESSIER. CAROLVS PATV.

APPROBATIO THEOLOGORVM ORDINIS.

NOS infra ſcripti Ordinis Minimorum Theologi vidimus librum cui titulus eſt, *De Sanctis Franciæ Cancellariis Syntagma Hiſtoricum*, &c. *Authore Patre Fr. Franciſco De la Noüe eiuſdem Inſtituti*, illúmque vt fidei & bonis moribus conſonum probauimus, & luce dignum cenſuimus. Pariſiis in Conuentu ad Plateam Regiam, die 11. Aprilis 1634.

FR. STEPHANVS BONVILLER.
F. PETRVS BLANCHOT.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, & Patentibus eius litteris cautúm, ne quis in Regno ipſius, aliiſve locis eius ditioni ſubiectis, intra decem proximos annos, à die impreſſionis primæ inchoandos & numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inſcribitur, *De Sanctis Franciæ Cancellariis Syntagma Hiſtoricum. F. Franciſcus Lanouius ex ordine Minimorum recenſuit*, &c. præter Sebaſtianum Cramoiſy Typographum Regium, & Bibliopolam Iuratum, ac Ciuem Pariſienſem, aut illis quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem authoritate Regia omnibus eius Subditis, eundem Librum extra Regni limites imprimendum curare, vel quempiam vbicumque fuerit ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu eiuſdem, ſub pœna confiſcationis librorum, aliiſve pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis die 30. Maij 1634. Signatum, De Mandato Regis, MARPON.



S. MELANIVS RHEDONENSIS EPISCOPVS,

SVB CHRISTIANISSIMO REGE CLODOVAEO I.



Sanctvs Melanivs *Redonicæ* Vrbis Episcopus, *Venetensi* villâ *Plautius* nuncupatâ oriundus, inter cætera virtutum insignia, maximâ aduersus dæmones potentiâ viguit: vnde frequentes dæmoniaci ad eum confluxêre, quos ille mirâ facilitate curabat. Excubabat pro subditorum salute in Oratorio suo iugiter, continuisque precibus & vberrimis lachrymis contrà dæmonum insidias ab Omnipotente opem implorabat. Accidit quandoque quendam Dæmoniacum rabie desperationis adactum laqueo vitam abrum-

A

B

A pere: quod simulac ad aures viri sancti lamentabili multorum clamore percrebuit, hominem miseratus, totâ mente ad orationem conuersus, vitâ functum non modò suscitauit, verumetiam diuina ope dæmonio expiatum ad sanctioris vitæ institutum egregiè induxit. Sacræ *Aurelianensi* Synodo sub *Clodouæo* celebratæ sanctus Antistes interfuisse [eámque sedulò promouisse] reperitur. [Ipsi *Clodouæo* Regi familiaris fuit,
B qui eius consilio pauperes alebat, & Sanctos honorabat.] Demùm verò [Beatus Pontifex post innumerabilium signa virtutum iugiter intentus cœlo, emicuit seculo:] cúmque ad tumulum deferretur, viri duodecim in turri quadam vinculis constricti, implorato eius auxilio, turri per medium scissâ, soluti & incolumes exiêre, gaudióque incredibili exultantes sacrum funus sunt comitati. Super eius porrò sepulchrum mi-
C râ Christiani fabricam celsitudine leuauerunt. Sed instinctu maligni, qui semper bonis aduersatur operibus, quodam tempore ab igne comprehenditur. Palla verò erat linea, quæ sanctum Confessoris tegebat sepulchrum. Illicò igitur vbi tignorum congeries flamma dominante truncatur, ruunt teglæ cum ligaturis & reliquo tecti apparatu, vnáque è trabibus flammato capite, impetu ruinæ præpulsa, super tumulum Sancti ruit, quæ non modò succendere pallam,

verumetiam conterere inter ſe & lapidem po- A
tuerat. Ruit inſuper & immenſa multitudo carbonum. Alia quoque vela, quæ vel parietibus vel oſtiis dependebant, ad primum flammæ flatum exuſta ſunt. Hæc verò palla non ſolùm non vſta, verumetiam nec in ſuperficie ab igne dedecorata eſt. Igitur expleto incendio, ingrediuntur populi cum eiulatu magno, & vſque ad ſepulchrum Antiſtitis properant, inter fletus & lachrymas noua gaudia percepturi. Remouent B
à tumulo ligna cum flammis, apprehenſúmque tumuli velum, excuſſis prunis mirantur omnes illæſum. *Cornelius Graſius* ex S. GREGORIO TVRON. & PETRO EQVILINO, *nonnullis interim reſtitutis & interiectis.*

NOTÆ.

Pag. 1. a. SANCTVS MELANIVS.] Inuariatum vbique nomen. Et ad 6. quidem Ianuarij meminerunt eius, Martyrolog. Romanum, Vſuardi, Adonis, & alia. Indigenis dicitur *S. Melen*, vt obſeruat in ſuæ gentis hiſtoriâ V. Cl. Bertrandus Argentræus, qui feſtum eius tranſlationis diē ad 6. Nouemb. recolunt, vt ſcribit Auguſtinus Pazius in Tabulis Epiſcoporum Rhedonēſium. Et certè corpus eius ad an. 1231. ab Archiepiſcopo Turonenſi in caſtrum *Prulliacum* ſuæ diœceſis abſtractum eſſe idem Argentræus habet, quam ego tranſlationem ab Aremoricis agi non crediderim. Certè ad illud tempus ſediſſe videtur apud Turones *Iuellus de Mathefelon* è nobiliſſimâ Aremoricæ gētis familiâ. Perperàm à nonnullis cum *S. Melanio* Rothomagēſi confunditur, is enim & *Malonus*, *Melonus*, *Mello* audit, noſter autem inuariatò, vt diximus, nomine tantummodò *Melanius*. Ille eſt quem Gregorius Turon. lib. 7. hiſtor. Franc. cap. 19. de *Ro-*

thomago ſubmotum dicit, hic de quo cap. 55. libro de gloria Confeſſ. luculenter meminit. Baronius alium eodem tempore *Melanium Viromandenſem* Epiſcopum qui *Aurelianenſi* Concilio cum noſtro *Rhedonenſi* interfuerit annotat, alium tamen ego non inuenio quàm *Melanium Albenſem*, hoc eſt *Viuarienſem* Epiſcopum, qui vice ſuâ *Cautinum* Archidiaconum ad V. Synodum *Aurelian.* direxerit. Inſigne porrò noſtri Melanij ex Geſtis eius elogium exprimit Vincentius Bellouac. lib. 21. cap. 24. Specul. hiſtor. vt dicatur ſcilicet, *nobilis genere, formâ præcipuus, corpore caſtus*, quod equidem nobis excidere non debuit.

Pag. 1. 2. REDONICÆ VRBIS, &c.] Ita Gregorius Turon. Concilia & omnes fere Scriptores Eccleſiaſtici, quæ Antonino *Rhedonum* & aliis *Rhedonum ciuitas*, verùm hoc obiter.

Ibid. VENETENSI VILLA PLAVTIVS, &c.] Apud Vincent. Bellou. ex Geſtis, *de Venetenſi parrochiâ, de villâ Placio.* Et *Placius* quidē magis placet quàm *Plautius*, vt quod ab aliis optimæ notæ Scriptoribus retineri animaduertam. Argentræo, populari voce eſt *Ploëlauf*. Quod autem Claudius Robertus paternum illius fundum eſſe ſcribit, in quo poſtmodùm eius nomini ædificatum ſit monaſteriū, ægrè crediderim, ſi enim *Placius* villa *Venetenſis* eſt Parochiæ, Abbatia verò illa, *Rhedonenſis*, & proximè quidem ad vrbem, non video quâ ratione alterum alteri conciliari poteſt, certè per nullum autorem alium potui hunc mihi ſcrupulum eximere. Geſta nonnihil ſubindicant, habent enim, *Oratorium ſuum, quod dicitur Placio, manibus propriis fabricauit.* Illud eſt planè de quo continuò narramus, ſed nihil prætereà conſtat. Argentræus conditum eſſe monaſterium à *Salomone* II. apud *Britannos* decimo Rege annotat, facítque regni eius initium ad an. Chriſti 640. Cæterùm de *Venetis Armoricam* incolentibus fruſtrâ quidquam adiecerim.

MAXIMA *aduerſus dæmones potentiâ*, &c.] Ad rem facit quod habent Geſta. Id ipſis eorum verbis enuncio. *Hic habuit aliquando Dæmonem obuium in ſpecie Tauri cornutum. Quem interrogans Sanctus quo iret, reſpondit ille: Vado ad fratres potionem eis dare. Et mox iuit Sanctus ad oratorium ſuum. Diabolus autem vnum de ſenioribus haurientem aquam ingreſſus eſt. Quem cùm vexaret, Sanctus vexato alapam dedit, & Dæmonem excuſſit, tantaque virtutis erat vt Dæmones ante illum celare ſe non auderent.* *Ibid.*

ACCIDIT *quandoque*, &c.] *P.* 1. b.

Breuius apud Vincent. Bellouac. *In Venetensi pago puerum mortuum suscitauit, qui à dæmonio vexabatur, quem Dæmon seducens & sciens se eiiciendum, in secreto cubiculo laqueo strangulauerat.*

P. 2. a. SACRÆ AVRELIANENSI *Synodo*, &c.] Ea est numero I. quam Sirmundus ad ann. C. 511. Clodouæi Regis 30. confert. Et quidem ei *Melanium* interfuisse, nihil certius est. Quod autem & promouisse addiderim, feci ex fide Bellouacensis, qui *Melanium* Synodum congregauisse, (datâ, vt probabile est, epistolâ *Clodouæi* nomine, quæ Actis præfixa est) fuisséque actorem (ni malis autorem) Canonum ibi promulgatorum, *sicut in præfatione*, inquit, *eiusdem Synodi legitur*. Quod postremum si verum est, in hodiernum diem præfatio illa desideratur.

Ibid. IPSI CLODOVÆO *Regi familiaris*, &c.] Ita nimirùm Bellouacensis, quod addidisse *Grasianæ* collectioni præstat. Hinc enim factum puto, vt *Clodouæi* Regis Cancellarius & Notarius creditus sit. Id Gillius ac deinceps alij scripserunt, vt etiã vulgatum Schema Cancellariorum nostrorum id pro certo præferat, deprauato tamen *Melanij* nostri nomine, quod anteà vniuersim monuimus. Aliorum fidem libens sequor. Ex hoc autem non potest dubium videri, quin eius sit *Clodouæi* Regis epistola ad Patres *Aureliam* congregandos, & aliæ etiam quæ eiusdem Regis nomine circumferuntur, ex quibus sibi possit nonnullã Christiani & pij Cancellarij ideam ducere, qui homini sanctissimo in tam graui munere succedit.

EIVS CONSILIO *pauperes alebat, Sanctos honorabat.*] De *Clodouæo* nostro id generatim profiteri iuuat, quod verbo Aimonius perstrinxit, permansit in eo vsque ad terminum vitæ custodia religionis & iustitiæ vigor. Sauaro commentarium de illius sanctitate pertexuit, dignum tanto Rege monumentum. Consueuit autem piissimus princeps cum Sanctis *Vedasto*, *Remigio*, *Melanio* Episcopis, *Leonardo*, *Maxentio*, *Seuerino* monachis, & aliis pluribus qui eo seculo floruerunt. Ib. b.


POST INNVMERABILIVM *signa virtutum*, &c.] Ita Gregorius Turon. cap. 55. libri de Gloria Confessorum, quod Elogium per omnia penè Martyrologia *Melanio* nostro seruatum est, & meritò, cùm & talem tantúmque autorem habeant, & omninò per se sit luculentum. Postremam particulam, *emicuit seculo*, nonnulla explicatiùs dederunt hac phrasi, *gloriosus migrauit à seculo.* Et ita quidem Romanum. Grasio certè hoc elogium non debuit excidisse, opportunè igitur restituimus. Ibid.

Ibid. VIRI DVODECIM *in turri*, &c.] Apud Bellouacenſ. diſertiùs; vbi enim S. Albini & ſociorum occurſum ad Melanij funus curandum indicauit, *Corpus eius dum deferrent*, ait, *nauigando per Vicenoniam ad vrbem Rhedonem duodecim vincti, qui tenebantur in carcere in turre iuxta aquam clamauerunt, Sancte Melani miſerere nobis. Et ſtatim diuiſa eſt turris in duas partes à ſummo vſque deorſum, & ſic liberati ſunt*. Pro *Vicenoniâ*, *Vicenna* eſt in editione Venetâ Vincentij, quo nomine intelligit totius Britanniæ celeberrimum fluuium, qui è finibus Cenomanorum decurrens *Rhedones* interluit, ac denique labitur in Oceanum. Gregorio Turonenſ. *Vicenonia* eſt non ſemel, Ptolomæo vt eruditis videtur, *Vidiana*, nunc certè vt *Vigelania*, ſicut & à popularibus noſtris *Villaine*, dicatur, in vſu eſt. Porrò quod cœperamus dicere *S. Albino* Andegauenſi, adfuêre ad exequias *Melanij* noſtri celebrandas *S. Marſus* Nannetenſis, *S. Victor* Cenomanenſis, & *S. Lautonus*, ſiue *Lannulphus*, vt alij habent, qui diuino vocatu ad hoc officium impulſi ſunt. Fuerat quidem inter eos magna vitæ neceſſitudo, narrántque rem miram de miſſâ *Marſo* eulogiâ, ſed id vltra inſtitutum noſtrum eſt. Ceterùm vnde habeat Argẽtræus, *Clotharium* Regem *Clodouai* filium, ab expeditione aduerſus *Conobertum* Britanniæ regulum capto *Chranno* eius filio redeuntem *Melanium* in *Franciam* retraxiſſe, certus eſſe non poſſum. Sed neque de anno quo *Melanius* noſter carne ſolutus eſt quidquam mihi liquet.

SVPER EIVS, &c.] Deinceps verba Gregorij Turonenſis loco antea laudato vſurpamus, adeóque nihil eſt quod non fidem atque venerationem mereatur. Ibid. c.

MIRA *Chriſtiani fabricam celſitudine*, &c.] Eo putâ loco vbi corpus eius depoſitum, & fortè ab ea conflagratione firmioris operis ædes à *Salomone* Rege conſtituta, & monaſterium exædificatum. Vnde mihi videor non improbabilem coniecturam accipere, de alterâ fabrica ab oratorio, de quo in anteceſſum dicebamus. Ibid.

PALLA *autem erat linea*.] Tres aut quatuor editiones quas conſului habent *lignea*, perperàm, ea enim ipſa eſt palla quam poſtmodùm *tumuli velum* appellat, nihil planius. Sed nec frequentius aliquid quàm de pallis & quidem lineis quibus ſepulchra & tumuli contegerentur. Sed ritus illos non perſequimur, qui plures in pauca quæ ſequuntur verba coarctantur. Ibid.



S. ROMANVS ROTHOMAGENSIS EPISCOPVS,

SVB CLEMENTISSIMO REGE CLOTARIO II.



ROMANVS, *Benedicti*, & *Felicitatis*, A
ex prosapiâ Regum *Franciæ*, filius, parentum precibus, cùm mater deploratæ sterilitatis esset, à Deo concessus est. Hanc natalium felicitatem reliqua vitæ conditio adæquauit. Meruit primùm in aulâ *Clotharij* Regis filij *Chilperici*, apud quem adeò gratiosus fuit, vt accepto de manu eius annulo Referen- B
darij munus eo vsque egerit, quò ad Superos euocato *Rothomagensium* Antistite *Idulpho*, de summa secundùm seculum dignitate, ad supremum in Ecclesiâ Christi honoris gradum ascenderit. Anno nimirùm regnantis *Clotharij* se-

A cundi tricesimo, demortuo quem diximus *Idulpho*, Clerus & populus Rothomagensis, *Romanum*, dignitatis Regiæ Cancellarium, in Pastorem sibi postulauit, quorum vota ne frustraretur Clementissimus princeps, perspectæ sibi virtutis hominem & Pontificiis in seculo virtutibus effulgentem, eorum precibus vltrò condonauit. Et verò non poterat piissimus Princeps eum suo suffragio destituere, quem præiudicata B cœli autoritas eidem Sedi destinauerat Antistitem. Cùm enim Cleri populíque vota in eligendo sibi Pastore dissentirent, post indictum solemne ieiunium, & publicas precationes Seniorum vni de *Romano* eligendo diuinitus reuelatum est, in quem edita reuelatione, vnanimiter omnes consenserunt. *Romanus* tamen pro sua humilitate indignitatem suam causatus, quantùm potuit renisus est, quoad de diuina C reuelatione certior factus, nolenti propior nihilominus quàm volenti, acquieuit. Deductus frequenti Aulicorum comitatu, à Clero & populo in occursum progrediente ac magnis vocibus acclamante, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, susceptus est, ac demùm inter choros psallentium ab Episcopis Episcopus consecratus est. Simoniacam hæresim in suâ diœcesi vigentem, & Idololatriæ reliquias vsquedùm superstites ante omnia profligauit. Veneris templum

plum ad muros Vrbis deiecit & eruit, atque à A
ſpecu proximâ, quæ fœtido habitu permixtis
micantibus flammis omnia corrumpebat, ſic vt
plerique ciues atque ſuburbani homines eâ pe-
ſte enecarentur, per exorciſmos Eccleſiæ dæ-
mones intelligibili voce coram populo ſibi re-
ſpondentes, & minas fruſtrâ intentantes abegit,
& imperata facere mirabili virtute coëgit. Euo-
catus quandoque à Rege ob publicà regni con-
ſilia quibus adhibebatur, per eius abſentiam B
mare in defluentem *Sequanam* tanta ſe largitate
infudit, vt aquis ad murorum ciuitatis altitudi-
nem aſſurgentibus præſens vrbi exitium & ine-
uitabile timeretur, ſed commodè trepidantibus
& efflagitantibus ſuis *Romanus* reſtitutus, pro-
ducto in aquas crucis ſigno vim illam & impe-
tum cohibuit: nam mare ſenſim ſe ſubduxit, &
reductus in alueum ſuum *Sequana* demutuit, vſ-
que nunc aquis voci hominis obedientibus, qui- C
bus vt ne vrbis portas excederent imperauit.
Perluſtrans aliquando diœceſim ſuam in homi-
nes ruſticos idololatriæ labe adhuc contami-
natos incidit, quos ad rectam fidem ſua prædi-
catione perduxit, deiectis interim ad orationem
ſuam & preces idolis quæ colebant: vt poſtea
etiam ab aliis inuitatus Apollinis atque Mercu-
rij templum inædificatâ in eodem ſolo Eccleſiâ
cuius ſumptus fecit, aboleuerit. Die Sancto in

A Cœna Domini cùm de more Chriſma confe-
cturus altari aſtaret, Diaconus qui ampullam
olei plenam perferebat, dum iter vrget pedem
offendit, & ampullam manibus elapſam & paui-
mento alliſam comminuit: quo caſu permotus
Pontifex ad orationem ſe conuertit, atque ef-
fracti vrceoli fruſta in manus ſumens, ita reſti-
tuit ac ſi ne leuiter quidem attactus fuiſſet, ili-
cò & in effuſum oleum verſo vrceoli ore, to-
B tum ita recepit ac ſi ab alio vaſe illud defudiſ-
ſet. Peſtilentem per illud tempus draconem &
totâ illâ regione agros hominéſque abſumen-
tem fugare aut enecare ſuorum ſtudioſus & a-
mans Pontifex conſtituerat, in eum tamen pro-
ceſſurus cùm ſe illi ciuium nemo adiungere vo-
luiſſet, popoſcit, vt duo ſaltem rei è cuſtodia
præſtò eſſent, dati ſunt igitur duo, quorum al-
ter homicidij, alter furti compertus erat. In quo-
C rum comitatu cùm in conſpectum infeſti ani-
malis veniſſet, fur timore ac metu perculſus ſub-
terfugit, at homicida imperterritus gradum fi-
xit, & Epiſcopo ſuo aſtitit. Tum verò ille à Deo
confortatus & animatus horrendæ & voraci be-
ſtiæ tanquam domeſtico & cicuro animali ſto-
lam circumduxit, ex qua cum homicidij reus
ille, iubente Sancto Epiſcopo, in mediam vr-
bem perduxit, vbi, circumfuſo & mirante po-
pulo vniuerſo, in rogum iniectus ferus draco

exustus est. Reo facta gratia, quam ab eo tempore in tantæ rei memoriam vni alicui quotannis facere consuetudo est. Id verò vbi præstitit Beatus Antistes, in gratiarum actionem rem diuinam fecit, per quam & ad populum Sermonem habuit, pro veteri more, qui etiamnum plerisque locis obtinet, inde ad altare iterùm se applicans, cùm sacris verbis corpus & sanguinem Domini conficeret, visus est tribus probatæ & Sanctæ vitæ senioribus, qui astabant, sublimis ferri in aërem, emicante ad caput flammâ, & è flammâ manu prodeunte, quæ benedicenti similis gratam & acceptam oblationem significaret. Quod vbi illi post rem sacram beato Præsuli renunciarunt, & ipse, acceptâ silentij fide, per id momentum certiorem se de proximâ mortis horâ factum indicauit, adeóque breui fore vt in Sanctorum Episcoporum societatem acciperetur, ac deinceps nemini frustrâ futurum qui eius intercessionis suffragium promereretur. Ab eo igitur tempore secessit in solitudinem, totus exinde sibi vacans, & se ad felicem & Christianum exitum comparans. Non defuerunt tamen in illa solitudine, ab humani generis hoste oblata tentamenta, quæ illi ad fortitudinis exercitationem & probationẽ profecerunt. Interim orationi & contemplationi rerum diuinarum insistens, lentâ febre tentatus,

A carne tandem solutus est, die Octobris tertiâ & vicesimâ, Dominicæ Incarnationis an. 635. Sepultus est in basilicâ *S.Gildardi* seu *Godardi*, qui eum ante annos 100. in ea Sede præcesserat. Sanctitatem eius, plures à Deo reuelationes & miracula etiam, post mortem declarauerunt. PASCHALIS ROBINVS *Fagi Dominus ex MSS. Ecclesiæ Rothomagensis hæc Acta Gallicè dedit, quæ nos Latinè simplici stylo & summariè reddidimus.*

NOTÆ.

Pag. 7. a. ROMANVS.] Hic noster Romanus ad XXIII. Octob. Romano Martyrol. inscriptus, & quidem rectè, quando ad eum diem, vt hæc ipsa Acta commemorant, obiit. Ad XVIII. diem Nouembris Robinus, & ex eo Ferrarius contulerunt. Quin & Ferrarius ipse iterum ad XXX. Maij memoriam illius habet: cuius diuersitatis causa mihi hactenus comperta non est. Probabile videtur semel atque iterum translatum eius corpus fuisse, atque hinc ad transitus diem duos alios in Tabulis patriis accessisse. De nomine nulla est ambiguitas & controuersia.

Ibid. BENEDICTI, &c.] *Benedictus* in Actis summus *Clotarij* cōsiliarius dicitur, quo nomine nonnunquam Cancellarium veteres intellexerunt. Et quidem *Benedictum* sunt qui cum *Baudino* Cancellario, & posteà *Tullensi*, vt quibusdam placet, Episcopo, siue quod alij volunt Turonensi, cōfundant. Rem obscuram discutere non vacat.

Ibid. EX PROSAPIA *Regum Franciæ.*] Ita Robertus in *Romano*, quod illi vt acceptum fero, ita nolim ampliùs disquirere.

Ibid. CLOTHARII.] Rex mansuetus *Audoëno* in Actis *Eligij*, sed de *Clothario* dicendum recurret in Actis quæ sequuntur.

Ib. b. VT ACCEPTO *de manu eius annulo, &c.*] Ex phrasi eius temporis ita diximus, quod Acta Gallica planè habent, Cancellarius fuit.

Ib. c. CLOTHARII SECVNDI TRICESIMO.] Hunc Robinus Chri-

ſti Domini 622. facit, qui non potuit eſſe niſi 614. Ita octennio toto à vero calculo deficit. Et quidem *Clotharij* II. initia in an. 584. ex certiori ſupputatione incidunt. Quòd ſi ex annis Chriſti æſtimandus qui regno *Clotharij* tribuitur, pro triceſimo dicendus erit triceſimus octauus.

P.8.a. IDVLPHO.] *Hildulphus* & *Hydulphus* ab aliis etiam ſcribitur. Hic, poſt *Melantium*, qui & *Melanius*, & alius quidem à *Mellone*, decimus nonus apud Robertum eius ſedis Epiſcopus, qui memoratur ad an. 594.

Ibid. DIGNITATIS REGIÆ *Cancellarium.*] Audoënus ipſe ad illud æuũ ita ſe inſcribebat, quod te docebunt plures tabulæ Sandionyſianæ, atque nos pluribus fortè in progreſſu eâ de re dicemus.

Ib.b. SENIORVM *vni.*] Robinus hanc vocem in M. SS. frequentem obſeruat, quâ nos propterea & meritò vſi ſumus. Nec vanum ſanè antiquitatis argumentum ex ea voce aucupatur. Senior Veteribus illis & Preſbyter & Dominus audiit. Res notior quàm vt diſcutione indigeat.

P.11.a. AB EO TEMPORE *in tante rei*, &c.] Factum contigit die ſancto Dominicæ Aſcenſionis, adeóque & annua illa celebritas homicidæ liberãdi ad eum diem peragitur. Magnum id Eccleſiæ *Rothomagenſis* priuilegiũ, quod rogante S. *Audoëno* à Rege *Dagoberto* indultum ſcribit Claudius Sequartius, qui & ritus liberandi rei latiùs perſequitur. Eius diſſertationem Renatus Benedictus Actis SS. quæ edidit ad diem xxx. Maij retulit.

SERMONEM HABVIT *pro veteri more*, &c.] Robinus hinc reuocat originem concionum, quæ inter Sacra lecto Euãgelio haberi ſolent. Eas populares noſtri vocant *Troſnes*, quòd proni auditores ad verba ſacra eſſent, vel quòd in templi veſtibulo celebrarentur. Illud enim Græci pronaon vocant. Sed de his ſuo more Genebrardus, hoc eſt eleganter & doctè, libr. de Antiquis Miſſæ ritibus, nos huius generis obſeruationibus non inſiſtimus. *Ibid.*


AN. 635.] Hæc Epocha, vt vera ſit, falſitatis arguit Acta *Audoëni*, quæ ipſius Ordinationem ad diem XIV. menſis Maij eodem ipſo anno conſignant; hoc eſt quinto & ampliùs menſe ante Deceſſoris obitum ordinatum præferunt, quod multis modis repugnat. Verùm de ordinatione *Audoëni* quæſtio redibit. *P.12.a.*

IN BASILICA *S. Gildardi*, &c.] *Godardus* quidem, apud Rothomagenſes hodiéque nominatur, cuius nota eſt in Vrbe baſilica. S. Medardi frater fuit & quidem geminus, quos *Ibid.*

Vna dies natos vtero viditque sacratos,
Albis solutos & ab ista carne solutos.

vt habet in carmine de illorum vitâ *S. Audoënus.* Quæ igitur de *Medardi* ætate controuersia vertitur, eadem est & de *Gildardo*, de qua videndi Cognatus in Historia Vrbis Tornacensis & Miræus in Fastis Belgicis. *Gildardus*, quod in præsens satis erit, *Rothomagensis* Episcop. xv. fuit, & *Romanum* centum plus minùs annis superauit, vt qui sub *Clotario* I. diem obierit.

Ibid. Ex MSS. *Ecclesiæ*, &c.] Ita vir nobilis & pius profitetur, atque vtinam ea nos aliquando nacti fuissemus. Acta verò quæ *Paschalis* ille descripsit, Renatus Benedictus in sua collectione publicauit. Verùm & ex MSS. Britannis *S. Romani* Vitam à V. Cl. Nicolao Rigaltio editam lego apud Paschasium in Disquisitionibus rerum Francicarum, lib. 9. cap. 42. nouissimæ editionis, vbi & plura de Priuilegio quod diximus Rothomagensis Ecclesiæ. Sed vt illam nancisci datum non est, ita & in disquirendâ eius Priuilegij autoritate operam ponere haud multùm iuuabit.



S. LANDERICVS PARISIENSIS EPISCOPVS,

SVB MAGNIFICENTISSIMO REGE DAGOBERTO I.

BEATVS *Landericus* nonus à Beato A
Germano Parisiensis fuit Episcopus, seditque in eiusdem Ciuitatis cathedrâ, regnante *Francorum* Rege *Ludouio* magnifici Regis *Dagoberti & Nanthildis* Reginæ filio. Hic itaque venerandus Pontifex tantâ fuit charitate succensus, vt plerunque in operibus pietatis Sanctus feruor excederet, id solum cogitans, vt quam citius B
posset, indigentibus subueniret. Illud sanè tenendum quod monasterio Beati Areopagitæ *Dionysij* ob reuerentiam Martyrum ibidem corpore quiescentium, quietémque fratrum ibi Deo famulantium, ad instantiam supradicti

A Regis Francorum illuſtris *Ludouij* exemptionis priuilegium de conſenſu Canonicorum, multis quoque aliis Epiſcopis cum ipſo ſubſcribentibus dedit: quod poſtea Sedes Apoſtolica confirmauit. Poſt deceſſum huius almi Pontificis, dum quodam tempore graue incendium domos iuxta *Caſtelletum* poſitas conflagraret, flammáſque ignium multitudo populi ſuperare non poſſet: mox vt venerabilis preſbyter, huius San-
B cti ſudarium, de Eccleſia Sancti *Germani* delatum, perticæ vexillari imponens, flammis oppoſuit, mirabile dictu beneficium pauper panniculus attulit, quod populus aut flumen infuſum dare non potuit. Tempore etiam venerabilis Epiſcopi *Pariſiorum Mauritij* accidit, vt eius nepotem ſquinantiæ morbus opprimeret, ita vt omnem medicorum peritiam ipſa morbi grauitas ſuperaret. Cùm autem ad locum ſepul-
C turæ Beati *Landerici* fuiſſet delatus, ſanctificauit deuotus Epiſcopus locum ægritudinis ſudario Sancti, nudóque ipſius dente quicquid morbus occupauerat conſignauit. Hac igitur benedictione confortatus ægrotus, in domum Epiſcopi ſperans in Domino ſe recepit: ipſóque die cœpit præſente Epiſcopo tumor euaneſcere, & paulatim digeſta putredine, ſputis quoque frequentibus eiecta, reſedit omnino, perfectáque rediit incolumitas. Prædicauit autem

conſtanter

constanter Episcopus quod patens veritas ei monstrauerat, processítque festina relatio ad auditorium Summi Pontificis *Alexandri*, qui tunc temporis *Parisius* residebat. BREVIARIVM DIONYSIANVM *ad diem x. mensis Iunij*. A

NOTÆ.

P.15.a. BEATVS LANDERICVS.] *Landericus*, qui & *Landricus*, notum nomen & sibi constans, popularibus nostris contractius esse solet, qui *S. Landri* pronunciant. Eiusdem nominis cum Sancto nostro qui cum sceleratâ *Fredegunde* impudicè agebat infamis *Chilperici* Regis parricida. Tam parùm de nominis communione aut verendum vituperium, aut laus aucupanda. Verùm & de altero *Landerico* infrâ.

Ibid. NONVS A BEATO GERMANO.] In tabulis Ecclesiæ nostræ octauus est, non nonus. Quid si vnus aliquis excidit, quod non semel animaduertimus? Itaque non mutauimus.

Ibid. REGNANTE FRANCORVM *Rege Ludouio.*] Mirè variant apud autores Regum nostrorum nomina, vsus iam nunc *Clodouei* nomen vulgauit pro Regibus stirpis *Tharamundica*, & illi omninò tres fuêre, quorum hic noster secundus: deinceps in *Carolina* & *Capetana* stirpe *Ludouici* nomen obtinuit.

INDIGENTIBVS SVBVENIRET.] Ea laus Landerico nostro peculiaris, vt tamen in hoc officio magnum hi omnes de quibus agimus, momentum posuerint. Primus Hospitalis, quod vocant, in vrbe condendi autor fuit, illúdque est, quod ad Ecclesiam maiorem nomine Hospitalis-Dei, magnis auctum incrementis hodiéque miramur. Liberalitas eius in pauperes fecit, vt panes ex corbe mendicis & egenis distribuens pingatur. Ib. b.

EXEMPTIONIS *priuilegium*, &c.] Omninò placet illud describere, vt origo & causæ monachorum, per ipsos Episcopos à sua potestate solutorum, pleniùs innotescant. P.16. a.

Diuina largiente gratiâ Landericus *Parisiorum Ecclesiæ Episcopus. Quoniam quidem inter ea quæ Dei disponente prouidentiâ cursu temporis agimus, si quid*

C

rectè actum est, ad illius, qui & dando præmonuit, & posse contulit, gloriam & nostram prosperitatem non est dubium attinere; decet & præsertim eos, qui in sacris ordinibus eminere videntur, priuatæ & publicæ rei ita curam agere, vt & sua peccamina adnullare, & si quid est virtutis, hoc semper ad altiora studeant prouehere, & aliorum vel benefacta commendare, vel vitia inuigilent corrigere. Debet etiam esse grata omnium Dei fidelium inter se familiaritas, & in expetendis dandísque beneficiis adeò opportuna propinquitas, vt nulli prorsùs digna petenti non modò non abnuat, verumetiam vt ampliùs quod dignum est ab altero petere postuletur. Quapropter nouerit omnium Catholicæ Ecclesiæ cultorum generalis vniuersitas, quod domnus gloriosissimus CLVDOVICVS *Francorum Rex, diuino irradiatus lumine, religiosa petitione humilitatis nostræ extremitatem poposcit, vt & nos, & canonicorum nostrorum communis fraternitas, securitatis & incommutabilitatis priuilegium ederemus, pro reuerentiâ* Sancti Dionysij *sociorúmque eius* Rustici *&* Eleutherij, *qui cum eo laureâ martyrij sunt redimiti, ad basilicam ipsorum, vbi ipsi corpore requiescunt, & in virtutum miraculis coruscant, & vbi* Dagobertus *genitor suus quondam Rex, vel genitrix sua* Nanthildis *Regina sepulturas habere videntur. Quanquam sancta* Carthaginensis *Synodus facta à beatæ memoriæ domno* Bonifacio *eiúsque coëpiscopis, non prohibeat monachos sub priuilegio proprio residere, vel Sancti* Augustini *libri de Ecclesiasticis gradibus doceant, monachos sub quiete regulariter viuentes, sua singulari lege debere quiescere, & ab omni infestatione clericorum intrepidos permanere, ne sæcularis strepitus eos lædat, quos districta regula seruitutis Domini moderatur. Quod nos considerantes, dum & canonica institutio nos hac de re non præiudicat; vel ideò quia supradicti Domni* Cludouici *Regis petitio quasi nobis iussio est, cui difficillimum est resisti, vel pro reuerentia tantorum martyrum, quorum patrocinio se ipse commisit, vt ipsis monachis secundum sanctum ordinem viuere liceat, & vt tam pro nobis quàm pro omnibus nostræ Ecclesiæ fratribus Deum orent, ipsum Priuilegium plena voluntate, vnà cum consensu fratrum meorum, ipsis concessisse visus sum. Per quod decerno, atque ob testificationem diuini nominis interdico, vt nec ego deinceps, nec vllus successorum meorum hoc audeat infringere, vel temerario ausu aliquatenus violare. Videlicet vt omnis Presbyter vel clericus ex his quæ in ipso beatissimi Dionysij martyris, vel extra ex loco qui*

dicitur fons S. Remigij, sicut via distinguit, quæ præbet iter iuxta pratum quod dicitur Formosum, vsque ad Ecclesiam Sancti Quintini martyris, & illinc per regalem stratam, donec veniatur ad viuarium in capite Triceni pontis, sicut prata fratrum distinguunt, vsque ad præfatum locum fontis beati Remigij, omnes illi qui in hoc circumscripto spatio Ecclesiis seruiunt, sint liberi & absoluti ab omni debito, & redditione circadarum & Synodorum. Tamen volumus & pro reuerentia Sancti Martyris Dionysij *concedimus, vt si necessitas eis fuerit, ex nostro & successorum nostrorum Episcopatu, sine pretio, chrisma & oleum suscipiant. Et si quis eorum presbyterorum vel clericorum, fortè aut occisus, quod absit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicuius iniuriæ acclamatio surrexerit, quicquid ex his omnibus ad nos pertinere videatur, hoc totum Abbati, qui in ipso sancto loco præfuerit, cæterisque fratribus habendum & disponendum concedimus. Quòd si aliquis calliditate aut cupiditate præuentus fuerit, & ea quæ sunt superiùs comprehensa temerario spiritu violauerit, tribus annis pœnitentiam agat à communione fratrum sequestratus, & nihilominus hoc priuilegium, Christo protegente, qui & adiuuet illud conseruantes, & dissipet illud destruere cupientes, perpetuò maneat incorruptum. Quam definitionem constitutionis nostræ, vt nostris & futuris temporibus valitura sit, manus nostræ subscriptionibus roborauimus & coëpiscopos domnos, & fratres nostros rogauimus, vt ipsam insuper firmare debeant. In Christi nomine* Landericus, *ac si peccator, Episcopus vrbis* Parisiacæ *hoc priuilegium consensi & subscripsi.*

Munemundus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Gouualdus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Vulfolenus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Armentarius *Episcopus consensi & subscripsi.*

Rauracus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Malchardus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Eligius *Episcopus consensi & subscripsi.*

Gratus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Ioannes *Episcopus consensi & subscripsi.*

Burgundofar *Episcopus consensi & subscripsi.*

Richoaldus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Baldomerus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Audoënus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Taurinus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Eustorgius *Episcopus consensi & subscripsi.*

Karioendus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Berthefridus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Audobertus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Clarus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Castadius *Episcopus consensi & subscripsi.*

Litterius *Episcopus consensi & subscripsi.*

Palladius *Episcopus consensi & subscripsi.*

Atherius *Episcopus consensi & subscripsi.*

Ingildus *Episcopus consensi & subscripsi.*

Facto priuilegio sub die Iulij in anno xv. regnante Cludouico *gloriosissimo Rege.* Austrolenus *Lector iubente Domno* Landerico *Episcopo hoc priuilegium scripsi & subscripsi.* Dignum equidem Episcopo sanctissimo & olim Franciæ Cancellario monumentum, quod ex Canonum & SS. Patrum autoritate constitutum, efflagitante Rege concessum, plena voluntate perscriptũ, Christo protegenti commendatum, sub interminatione diuinæ vltionis sancitum, nihil non habet quod singulari obseruatione ac veneratione dignum non sit. Quid si hodie monachis tãtum tribueretur, quantum vir Dei *Landericus Dionysianis* illis relaxauit? Attamen & illud tot Episcopi recensuerunt, probauerunt, confirmarunt. Sed & Rex ipse fidem suam seruando tuendóque obligauit dato præcepto (quod etiamnum extat) in Conuentu Episcoporum, qui eam ob rem *Clippiacum* Regis vocatu venerant promulgatum, & ab eis recognitum atque subscriptum, & illud certè, cùm plures factæ illius autoritatis causas contineat; dignum planè quod relegatur. In quo quidem præcepto *Geroaldus* Cancellarius post Regem & ante Episcopos subscripsisse inuenitur. Sed hîc de *Landerico* nostro videtur inquirendum, si Cancellarij munere functus aliquando fuerit. Gesta eius veterum nemo literis commendauit, recentiores qui vitam scripserunt, sicut & qui de Cancellariis inquisiuerunt, id pro certo affirmant, suffragari sibi vetusta monumenta, quibus subscripserit, volunt, ego certè vnum inter *Dionysianas* chartas obseruo hac hypographê firmatum, *Landericus obtulit*, quod ad eius rei fidem faciendam videri posset pertinere, sed cùm hæc ipsa charta Episcopi nostri nomẽ postmodùm præferat hac formulâ, *In Christi nomine Landericus ac si peccator Episcopus subscripsit*, & quæ antecedunt ac subsequuntur, plures chartæ disertè prodant tunc *Dadonem* siue *Audoënum* Cancellarium

egisse, nō video quam inde probationē possimus accipere. Nolim tamen his qui eam *Landerico* nostro dignitatem tuentur refragari, quin imo eorum me autoritati totum credidi, cùm *Landericum* in Cancellarios transcripsi. Sed vellem liquidum mihi argumentum præstò esset, vt ne id temerè videri possim fecisse. Non parùm certè animum meū permouit *Marculphi* autoritas, qui iubente *Landerico* nostro Formularum libros duos edidit, quos hodiéque præ manibus habemus. Ea enim cura videtur ideò *Landerici* nostri animum attigisse, quod deceret eum qui sacris scriniis præfuisset hoc subsidium tyronibus parauisse, aut procurauisse. Inscriptio Marculphi sic habet, *Domino Sancto, meritis beatissimo & Apostolico semper honore suscipiendo, omníque praconio laudis celebrando, Domino ac reuerentissimo Papa Landerico*, quod iuuat in tanti viri commendationem annotasse.

Ibid. QVOD *posteà Sedes Apostolica confirmauit.*] Sanctus nimirùm *Zacharias* litteris ad *Pipinum* Regem datis per manus *Ioannis* Scriniarij & Cancellarij sub die 2. Non. Nouemb. quæ cum aliis eius monasterij Chartis *Dubleto* editore prostant.

Ibid. IVXTA CASTELLETVM.] A castro *Castelletum* est. Vrbs olim intra terminos insulæ Sequanicæ consistebat, ponte adibatur ab vtraque fluminis ripa, & vtrique quidem impositum præsidium, quod se arce continebat & tuebatur. Arces illæ *Castelletti* à nostris dictæ, causâ verò distinctionis quæ dextram ripam insidet *Castelletum maius*, quòd ea parte decurrens maior sit atque validior, quæ sinistram *Castelletum minus* audit. De maiori accipienda quæ hîc narrantur.

VENERABILIS PRESBYTER.] *Heruaus* Decanus, vt me historia *Sancti Landerici* docet Gallicè nuper scripta, & Vitis quas vocant Sanctorum à *Thoma Friardo* adtexta. *Ibid.*

DE ECCLESIA SANCTI GERMANI. [*Antissiodorensis* scilicet, quæ Ecclesia est Collegiata ad ripam dextram *Sequanæ*, supra maius Castelletum, ex aduerso celeberrimi monasterij *Sancti Germani*, qui Parisiensis Episcopus fuit. Ea primùm sicut & ipsa Abbatia *S. Vincentio* dicata est, & condita in eius honorem à *Childeberto* Rege & *Vltrogotha* Regina. In qua quidem *S. Landericus* humatus est. Namque nomen *S. Landerici* habet Ecclesia Parochialis, in ipsa Parisiensi insulâ, Episcopalis domûs, quæ tùm in proximo erat, Oratorium fuisse, in quod Sanctus Episcopus orationis gratiâ frequenter se reciperet, non temerè creditur. Est *Ibid.*



verò in eâdem Insulâ, parochialis altera Ecclesia nomine *S. Germani* Senioris, vulgò *le Vieil*, ita dicta; quòd *S. Germanus* postea *Parisiensis* Episcopus in vrbem *Augustoduno* veniens, ibi primùm diuersatus sit, vbi erat Oratorium *S. Ioanni Baptistæ* sacrum.

Ibid. EPISCOPI PARISIORVM MAVRITII.] *Mauritius* cognomento *de Soliaco*, vnde oriundus, sedit post *Petrum Lombardum* ab an. 1160. & suprà, ad 1196. quo decessit conditus ad S. Victorem extrà muros. De quo relegendus V.Cl. Claudius Robertus qui LXX. eius Sedis *Mauritium* adnumerat.


ibid. EIVS NEPOTEM.] Nomen illi *Ioannem* fuisse vulgò ferunt. In cuius quidem curationis memoriam *Mauritius* patruus S. *Landerici* corpus leuauit, & capsâ condidit ad an. 1171. *Petrus* verò cognomento *Orgemontius* eiusdem Sedis XCI. Episcopus in thecam argenteam inauratam an. 1408. ad diem XVI. mensis Septembris transtulit, præter vertebram vnam, & os ex digito quæ habenda Ecclesiæ, quam diximus *S. Landerici* concessit. Posterioris huius translationis festum annuatim agitur, maximè ad *S. Germani*, vbi ea theca in altam columnam elata retrò maius altare seruatur. At verò pluribus miraculis & curationibus inclaruit Sancti Pontificis virtus, quæ Friardus ex parte commemorat, designatis etiam personis, & ægritudinum generibus, vt omninò mirari subeat quod de *Landerico* nostro Molanus in additionibus ad Vsuardum die X. Iunij profitetur, cùm ait: *Parisiis depositio Sancti Landerici, Episcopi & Confessoris: qui eiusdem Vrbis Antistes, licet minùs plenè miraculorum signis fulgeat in terris, tamen cum Domino creditur regnare in cælis.* Iuuat interim ex eodem Molano alterius *Landrici* mentionem interponere, de quo ille ad XVII. Aprilis in hæc verba: *Sonegiis natalis Sancti Landrici Episcopi & Confessoris.* Hic autem traditur filius fuisse *SS. Vincentij* & *Vualdetrudis*, *Hannonia* Comitum, factúsque *Metensis*, siue quod aliis magis placet, *Meldensis*, Episcopus abdicasse ac *Sonegiis* Abbatem egisse, quam in rem haud decet nos ampliùs excurrere. Releg. Robertûs in Meldensibus.

ALEXANDRI QVI PARISIVS RESIDEBAT.] Is *Alexander* III. fuit qui an. 1163. in *Galliam* concessit, & *Parisiis* per Quadragesimam & festa Paschalia egit, vnde *Cæsarodunum* transgressus Concilium ibi habuit in Octauis Pentecostes. Vide Acta eius & Baronium ad eund. ann. Meminit ipse commorationis suæ *Parisiis* in Bullâ quam vocant Canonizationis *P. 17. a.*

S. Bernardi. Per id autem tempus dicitur primarium lapidem in fundamenta illius augustissimæ Basilicæ maioris Parisiensis, Deiparæ Virgini dicatæ, solemniter misisse.

Ibid. BREVIARIVM DIONYSIANVM.] Non potuimus nancisci melioris notæ documentum, tanta rerum *Landerici* vsquedum ignoratio est. Hæc quæ de illo exscripsimus, sex, vt loquuntur, lectionibus, quæ ad matutinas preces recitantur, comprehensa sunt. Breuiarium autem quo vsi sumus an. 1550. editum. Antiqua *Parisiensis* Ecclesiæ Breuiaria, & hoc illo multò recentiora proprias lectiones non habent, quas demùm audio restitutas, & illas puto ex *Dionysiano* Codice mutuatas. Sed nostra id quàm minimùm interest.





S. AVDOENVS ROTHOMAGENSIS EPISCOPVS,

SVB EODEM DAGOBERTO I.

A TEMPORIBVS *Clotarij* clarissimi principis filij *Chilperici* Regis *Francorum*, anno plus minus vicesimo regni eius, pago *Suessionico* quinque milliaribus ab ipsa Ciuitate distante, eo loco quem *Sanciacum* vocant, orti sunt tres venerabiles viri ex vno semine, nobiles in seculo geniti, & gratiâ Omni-
B potentis Dei cœlitus illuminati, putâ, *Ado, Dado* & *Rado*. Nati sunt autem patre *Authario*, matre verò *Aiga*. Cùm essent autem nobilissimi carnis origine, fuêre nihilominùs ergâ Christianæ religionis deuotionem perquàm studiosi. Cuncta enim quæ possidebant, siue in

in fundis, siue in diuitiis, in hospites, in paupe- A
res, in peregrinos, in monachos, summo studio conferebant, operantes quidem, vt Apostolus docet, bonum in omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Erant ambo fidei integritate puri, longanimitatis spe præcipui, charitate non ficti, verbum vitæ aure percipere & corde retinere sine fatigatione satagebant, ídque ab iis quorum doctrinam, & fidei puritas, & morum sanctitas, commendaret. In eorum domo, non B
vt assolet in quorundam secularium conuiuiis, mimorum vel histrionum carmina fœda, sed Euangelica, vel Apostolica, siue Prophetica, personabant oracula. Illum diem Sanctum illum duxêre solemnem, quando aliquem diuini verbi præconem hospitio recipere meruissent. Contigit autem eo tempore, virum Deo dilectum *Columbanum*, genere Scotum, Cœnobiorum, *Luxouiensis* in *Galliâ*, *Bobiensis* in *Italiâ* fun- C
datorem, ex *Hiberniâ* insulâ in *Gallias* peruenire, qui relicto paterno solo, parentum domo, cunctísque quibus mundi amatores pro magno vtuntur, voluntariam paupertatem & saluberrimã peregrinationem, pro amore Christi & regni cœlestis, arripuit. Cuius viri doctrina vel vita qualis fuerit, qui scire desideras, ex libro qui vitã moréſque eius ornato edisserit sermone, scire poterit. Accidit autem iisdem temporibus, *B.*

D

A *Columbanum* insignem Dei cultorem, de domo *Agnerici* summi Consiliarij Regis *Clotarij*, remeantem, ad villam quandam in littore amnis *Matronæ* sitam, *Vuilciacum* nomine, peruenire, ibíque prædictum virum illustrem *Autharium*, cum nobili coniuge sua *Aiga*, inuenire. Qui cùm virum Dei magno exultantes gaudio suscepissent, & venerabilibus obsequiis ei gratificari studerent, inter salutifera beatorum viro-
B rum colloquia, religiosissima mater iam dictorum puerorum, ad benedicendum infantulos vero Dei cultori obtulit, obsecrans vt eis benè precaretur. Videns autem eos vir Sanctus, præscius futurorum, secundum piæ matris fidem, infantulis benedixit, & prophetico spiritu prædixit eos futuros in Christianæ religionis virtutibus eximios, honoribus & dignitate seculari claros, in aulâ etiam Regum gloriosos.
C Nec potuit tanti viri benedictio, cassa vel fortuita vlla ratione putari. Mox ergò vt pubescere cœperunt, primùm *Clotario* Regi, deinde *Dagoberto*, in cunctis inuenti sunt gratissimi. Sed illi ad cœlestia tendentes, inter pestifera mundi huius negotia, religiosa semper hominum sanctorum consortia amabant, & licet ordine diuerso, at singulos tamen, promissionum est effectus consecutus. Namque primogenitus *Ado*, cuncta huius mundi obstacula contem-

nens, ſemetipſum abnegans, & propriis volun- A tatibus renuncians, ex Dei beneficio, in caſtris Regis æterni perpetuò militare elegit, monaſticámque appetens vitam, mortiferam mundi huius calcauit dulcedinem. Itaque monaſterium *Iotrenſe* ad *Matronæ* fluuium præclarè condidit, in proprio ſolo, in quo ad præſcriptum Regulæ almi Patris *Columbani* viuerent fratres, ad eam rem iuuante eum beatiſſimo germano ſuo *Audoëno*, ditauítque illud rebus & opibus om- B nibus, atque etiam diſciplinis Eccleſiaſticis inſtruxit. *Rado* verò qui extremum natiuitatis ordinem tenebat, theſaurorum regalium ſummus procurator effectus eſt: quos ille theſauros iuſto diſpenſans ordine, fideliter & Chriſtianè cuſtodiuit. In ipſis autem ſeculi dignitatibus nihilominus fuit Sanctæ religioni ſubditus, erga Dei præcepta iuſtus & religioſus, dilectione amabilis, eleemoſynis largus, in militia proui- C dus, denique iuſtè ac piè viuendo, in demandatis ipſi palatinis faſcibus, fidum ac ſtrenuum ſeſe declarauit. Porrò Sanctus *Audoënus*, cognomento Dado, Auricularij locum & munus in aulâ Regis obtinuit, itémque ad obſignanda ſcripta vel edicta regia, quæ ab ipſo conſcribebantur, ſigillum vel anulum Regis, cuſtodiebat. Erat verò ſenſu profundus, eloquio copioſus, conſilio prouidus, iudicio iuſtus, corporis

A ſtaturâ procerus, vultu decorus, & antè omnia in Chriſti charitate fundatus, Regi verò, etiam charus, cunctíſque principibus & optimatibus fuit venerabilis. Ad illius nutum omnia palatij negotia gerebantur, eius conſilium optimates omnes, atque ipſe etiam *Dagobertus* Rex, ceu diuinis oraculis parebant. Neque enim vllum erat aliud eius conſilium, niſi quod & Regi & populo vtilitatem adferret. Et aſſiduè ſanè hor-
B tabatur Regem, vt Regem omnium Chriſtum conditorem ac redemptorem ſuum, ſine quo nemo iuſtè regnat vel imperat, diligendo, timendo, cunctíſque eius mandatis obediendo, piè coleret: ſubditorum ſibi populorum ſocium ſe potiùs, quàm dominum, exiſtimaret: ſubiectis parceret, debellarétque ſuperbos: fines imperij ſui ab hoſtium incurſibus ſtrenuè defenderet, immò verò ob abundantiorem Eccleſiæ
C Chriſti pacem, eoſdem fines etiam, proferre ac dilatare contenderet: homines flagitioſos, putâ, fures, latrones, homicidas, maleficos, hæreticos, cæteráſque infames perſonas, è regno exturbaret. Admonebat denique vt Eccleſiarum & ſanctorum locorum, præ omnibus, curam gereret, renouandorum & conſtruendorum Cœnobiorum ſtudio inſiſteret; pauperibus, peregrinis, viduis, omnibúſque neceſſitatem patientibus, piè ſubueniret, hoc dicens iuſtum eſ-

ſe, vt cunctorum qui eius ditione tenerentur, A
neceſſitati condoleret. Rex verò *Dagobertus*, aurem viro Dei libenter in omnibus quæ hortabatur accommodabat, atque eam ob rem & cunctis hoſtibus fuit fortior, & omnibus *Francorum* Regibus, qui ante ipſum regnauerant, felicior. Nam per id tempus, nobiliſſima ſanctorum virorum examina, inſtar apum, inclyta Francorum regio protulit, quorum melliſluo collegio, idem vir Domini *Audoënus* apo- B
criſarius Regis, velut ſplendidiſſimum ſydus, magnus Chriſti miles in Eccleſia quandoque futurus, iam emicabat. Vnde non eſt mirum, ſi ille Rex, malorum infeſtatione ſubmotâ, ponendis hinc inde præſidiis, pacis tantâ eſt vſus proſperitate, qui tam prudenti ſilentiario potiebatur. Florebat in aulâ Regis etiam beati viri ſodalis *Eligius*, virtutum ſanctitate mirandus, quem haud ſecus atque animam ſuam dilige- C
bat, erátque eis amor vnus, cor vnum & anima vna, parique intentione, ſub habitu adhuc ſeculari, æterno Regi militabant, ambo fide Chriſtianâ firmiſſimi, ambo Euangelicâ doctrinâ repleti. Ab eis omnes *Francorum* proceres capiebant exempla Chriſtianæ religionis, ab eis hauriebant monita doctrinæ ſalutaris. Nouerant illi animarum ſalutem, & patriæ cœleſtis beatitudinem & dulcedinem prædicare, & tan-

A quam duo fortissimi milites, paribus armis fidei, Christi Ecclesiæ seruiebant. Eorum arma, hæreticæ prauitatis iacula tentare poterant, penetrare non poterant. Etsi autem B. *Audoënus*, in palatio Regis, militari habitu tectus videretur, attamen ab omnibus ferè monachus potiùs, quàm laicus habebatur. Nam sæpissimè, pretiosis vestibus & aureo baltheo extrinsecus ornatus, subtus vtebatur cilicio: persistebátque
B infatigabiliter in orationibus, in vigiliis, in ieiuniis, in lectione diuina, in excipiendis hospitibus: pauperum verò & infirmorum ministerio, penè semper deditus erat. Terrena patria instar exilij ei erat, cœlestem vt propriam diligebat, illâ vtebatur tanquam exul, ad hanc ceu auis tendebat. Itaque in *Brigiensis* syluæ recessibus, Rasbacis fluuioli officinas perlustrans, cunctísque Dei seruis necessariis habitaculis in-
C struens, in suo patrimonio, monasterium prædictæ regulæ, quod *Hierosolymam* voluit dici, efficaciter construxit, vbi non solùm præsentem quietis pacem veris Christi cultoribus, verumetiam certam cœlestis visionis requiem suis sectatoribus, tùm præsentibus tùm posteris, feliciter comparauit. Idem verò monasterium opimis possessionibus, ornamentis Ecclesiasticis libris atque aliis diuersis rebus ad Dei seruitium & cultum pertinentibus, deuotus impleuit, &

ſanctorum monachorum multitudinem illic A congregans, Abbatem vnum ex almi patris *Columbani* diſcipulis, virum in diſciplinis regularibus apprimè eruditum, *Aglium* nomine, illis præfecit. Iámque meditabatur, vt cunctis ſeculi dignitatibus reiectis, ſoli Deo, intra monaſterij clauſtra, abſque impedimento ſeruiret: ſed reſiſtebant, tàm Rex quàm optimates omnes eius, tàm piæ voluntati, dicentes, debere eum potiùs plurimorum vtilitati conſulere, B quàm priuatæ ſuæ deliberationi obſequi. Videns ergo vir Deo dilectus, ratione ſimul & auctoritate ſe conſtrictum (ſciebat enim ſcriptum, *Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote*. Et, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*) ab hac intentione ardentem animum, ad tempus reuocauit, atque interim, diuina id agente prouidentia, Eccleſiæ *Rothomagenſis* futurus ſeruabatur Antiſtes, vt eius vrbis ciuibus, viam ſalutis, ſacris C admonitionibus aperiret, imperitóſque populi ſenſus luculentis exemplis inſtitueret. Intereà verò defuncto *Dagoberto* Rege Chriſtianiſſimo, filius eius *Clodouæus* in regnum ſucceſſit, in cuius regni exordio hæreſis infanda totum penè fœdauit Orientem, in tantum vt ipſe etiam *Paulus* Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & *Alexandrinus* quoque Patriarcha, peruerſo dogmate corrumperentur. Aſſerebat enim illa peſtis Do-

A minum noſtrum *Ieſum Chriſtum* non veram carnem ex *Maria* ſumpſiſſe. Cúmque ea de re, à *Paulo* & cæteris infauſti dogmatis aſſertoribus, cum autoritate etiam Imperatoris *Conſtantij* tertij, nepotis *Heraclij*, B. *Martino* Pontifici *Romano* ſcripta dirigerentur, vt ipſe huic ſententiæ aſſentiret & ſubſcriberet guſtum mortiferæ ſuaſionis ſummâ cum execratione reſpuit, ita dicens: Etiamſi totus Orbis dogmata pere-
B grina & à fide aliena complecti velit, ſe nec minis cuiuſquam, nec blandimentis, nec morte ipsâ, à doctrinâ Euangelicâ & Apoſtolicâ vllo pacto poſſe auelli. Mox verò ad Regem *Francorum* legatos mittens, rogat vt viros in fidei puritate fundatos, verbo & ſapientia prouidos, quamprimùm ad ſe mittat, vt cum illis & totius *Italiæ* Præſulibus, Domino auxiliante, aliquod aduerſus tantæ prauitatis venena antido-
C tum adhibere poſſit. Rex igitur cunctis regni ſui ſacerdotibus in vnum coactis, quid Legati tanti Pontificis afferant exponit, iubétque vt ex ſemetipſis viros tales eligant, quos ad ſuſcipiendum tantæ rei munus, puritate fidei & verbi ſapientiâ idoneos norint. Tum illi vno animo, *B. Audoënum* cum *S. Eligio*, ei rei deſtinandos eligunt. Tanta enim erat in viro Dei *Audoëno* ſapientia, vt quamuis Ordinem ſacerdotalem nondum adeptus eſſet, tamen penè omnibus

bus

bus eius temporis *Gallia* vel *Francia* ſacerdoti- A
bus ſapientiâ anteferretur, vel, vt moderatiùs
dicam, æquaretur. Sed obſtitit tunc quiddam,
ne *Romam* mitterentur. Haud multo poſt tem-
pore quidam ipſius impij dogmatis aſſertor, ex
Aſia pulſus, in *Galliarum* ciuitatem *Heduam*, quæ
nunc *Auguſtodunum* dicitur, perfidus Apoſta-
ta peruenit. Cúmque in aulâ Regis *Francorum*
relatum eſſet anguem tortuoſum virus horren-
dum in ea ciuitate iam latè vibraſſe, multóſque B
ibidem interfeciſſe, ilicò Synodalem Conuen-
tum ſacerdotum, apud *Aurelianenſem* vrbem
adunari iuſſit, vbi ſanè beati viri *Audoënus* &
Eligius, illius hæretici verſutiis, obiectionibus
validiſſimis reſtitêre, cunctíſque eius argumen-
tis, quibus ceu foueis quibuſdam ſe occulere
nitebatur, detectis, omnibus qui illic aderant,
mortiferum dogma & euitandum & execran-
dum, tùm manifeſtâ ratione, tùm diuina auto- C
ritate, perſuasêre: interim tamen, modeſtiæ
cauſsâ, eius victoriæ palmam *Beato Saluio* Epi-
ſcopo & Martyri concedentes. Conuictus au-
tem hæreticus, etiam è regni *Francorum* finibus
expulſus eſt. Id verò non contra hunc dumta-
xat, ſed etiam hæreticos omnes, *Audoënus* fa-
cere ſolebat, vt quos in conflictu ſuperaſſet,
eos in longinquas regiónes confeſtim aufugere
compelleret. Poſteâ verò, tùm Regis voluntate,

A tùm multorum religiosorum hominum, præcipuè tamen beatissimi *Eligij*, quem præ cæteris singulari amore prosequebatur, consilio & hortatu, Clerici tonsuram accepit, vno eodémque tempore, etiam ipso *Eligio* viro Dei comam ponente. Instabat porrò quotidie magis atque magis, vt Ecclesiæ fides intemerata conseruaretur, & à recto tramite nulla prauitate abduceretur. Videns autem Simoniacam hæresim B nimiùm in regno *Francorum* inualuisse, quæ ab impiæ *Brunechildis* tempore, cunctas penè *Francorum* polluerat Ecclesias, cœpit suadere Regi & cunctis optimatibus, vt patriam ea tabe corruptam, salutari adhibitâ medicinâ liberarent, nec vlla ratione consentirent, vt quisquam sacros Ordines vel emeret vel venderet, dicens, tale commercium diabolicâ fraude repertum, atque idcirco ab Ecclesiasticæ fidei puritate pe-C nitus eliminandum, potiúsque eligendos esse ad sacrorum Ordinum fastigia, quos non aurum, sed fidei sinceritas, doctrinæ suauitas, & morum probitas, commendaret. Interea temporis, defuncto *Romano* Rothomagensis vrbis Episcopo, veneratione digno, *B. Audoënus*, consensu omnium, ad eius Episcopatus subeundum onus compellitur. Illum enim solum ea sede dignum, tàm Rex quàm Proceres, itémque Clerus & populus, vnâ voce testabantur, quippe

cuius & fides & doctrina & mores, tantæ sedi A suscipiendæ conuenirent. Ille autem licet humiliter recusaret, sciens tamen quantum sit obedientiæ bonum, voluntati propriæ imperium præposuit plurimorum. Acceptâ autem sede Pontificiâ, non statim ausus fuit sacrum Ordinem præceps percipere, sciens videlicet, cum quanto periculo & quibus fluctibus coniuncta sit neophyti ordinatio, ne in superbiam elatus in iudicium incidat & in laqueum diaboli. Etsi B autem à viro sancto, elatio omnis esset alienissima, vt tamen posteris humilitatis exempla relinqueret, tantæ dignitatis gradum improuidè, vt dictum est, non sine quadam trepidatione, suscipere noluit. Mox tamen penitus valere iussis curis palatij, & propriâ sede relictâ, ob verbum Dei gentibus procul positis prædicandum, se exulem fecit. Transmissis namque *Sequanâ* & *Ligeri* fluminibus, cunctos in iis regionibus habitantes, lumine verbi salutaris, quasi C Sol quidam, illustrauit: in aliis fidei fundamenta ponens, alios in fide confirmans, quosdam etiam hæresi deprauatos ad normam Ecclesiasticæ fidei reuocans. Cúmque in Hispanias peruenisset, reperit populos illic commorantes, iamdudum nimia siccitate laborare. Iam enim septem anni fluxerant, quibus nec exiguum pluuiæ stillicidium eas regiones irrigarat. Vi-

A dens autem vir Deo plenus, si ea temporis in-
commoditas diutiùs perseueraret, non solùm
periculum, sed etiam exitium portendere, gla-
dium iam quodammodo in aëre pendentem, &
ad feriendum paratum, auertere studuit. Itaque
in preces se prosternens, obsecrat omnipoten-
tem Dominum, vt qui quondam Israëlitico po-
pulo, propter idololatriam & impiissimam Ie-
zabel, annis tribus & mensibus sex, cœlum clau-
B serit, tandémque orante beatissimo *Elia* pluuiâ
copiosâ reserauerit; nunc quoque suæ misera-
tionis dona, populo ob sua peccata iustè affli-
cto, largiri dignetur, pluuiâque salubri, terram
siccitate squalentem irrigare non differat: vti,
per miraculum foris exhibitum, corda populo-
rum in fide torpentia, in laudem creatoris for-
tiùs inardescant. Tum verò, sine morâ, preces
viri Dei tanta pluuiæ abundantia consecuta est,
C tantáque aëris commoditas subitò reddita est,
vt penè veterum malorum damna, præsens a-
bundantia compensare videretur. Cernere tùm
licebat rorare cœlos, imbres ruere, guttulis v-
berrimis distillare aëra, cœlorum beneficiis ar-
ua compleri, scatere fontes, agros pinguescere,
fructibus onerari arbores, plantaria existere, cam-
pos passim vestiri segetibus, colles vinetis afflue-
re, purpurascentes proferre oliuas, rosarum li-
liorúmque suaues spirare odores, denique agri-

colas resumptis viribus iuuencorum fatigare A terga. Nec mirum Deo dilectum virum, instar *Eliæ*, clausum cœlum sacris orationibus reserare potuisse, quem constat in multis virtutum *Eliæ* sectatorem fuisse. Virginitatis enim priuilegio floruit, vt *Elias*: Reges & potentes delinquentes asperè increpauit, vt *Elias*: nullius eum neque terrores neque blandimenta à rectitudinis & iustitiæ tramite abducere potuêre, vti nec *Eliam*: vestibus sæpe asperis vtebatur, vt *Elias*. B Atque ita virtutes beatissimi viri plurimis celebrantur locis, & fidei eius meritum per orbem terrarum latè prædicatur. Porrò confirmatis *Hispaniarum* populis in fide, verbis & miraculis, ad sedem propriam iam tandem redire constituit. Cùm autem reuertendo, per *Andegauensem* regionem iter ageret, obuiam habuit pauperculum quendam, qui cum dominico die, contra vsum Ecclesiasticum, opus seruile exerceret, at- C que in mola farinam conficeret, manum, quâ lapidem molarem circumagebat, repentè aridam & inutilem sensit. Nam pollex eius adeò affigebatur superiori illius parti, vt sanguis inde promanaret, ipsúmque lignum quo mola versabatur inter pollicem & palmam tam strictè tenebatur, vt nullo pacto inde posset auelli. Procidens ergò pauper ad pedes sancti viri, miseriam suam lachrymabundus ei exponit, si-

A mul etiam culpam ſuam & negligentiam confitetur. At vir beatus contractæ manuſ ſignum ſanctæ Crucis imprimit, & priſtinæ ſeruire conſuetudini naturæque inſtitutum exercere iubet, pauperem nihilominus admonens, vt Dominicis & feſtis diebus, potiùs ad Eccleſiam veniat, verbum Dei audiat, & opere impleat, ſanctam percipiat communionem, quàm molam verſet, aut vllum prorſus ſeruile opus, ſine ſumma ne-
B ceſſitate, exerceat. Si enim Iudæi, inquit, decreta legis per Moyſen datæ tantâ diligentiâ cuſtodiunt, quantò magis conuenit Chriſtianos præcepta Euangelij per Chriſtum promulgata feruenter & audire & cuſtodire. Sicut ergò Iudæi nullum opus ſeruile faciunt in Sabbato, ita Chriſtiani in die Dominicæ reſurrectionis debent ad Eccleſiam conuenire, verbum Dei auribus percipere, mente retinere, & ab opere ſer-
C uili abſtinere. Perueniens inde *Rothomagum* Ordinem Pontificalem, ad præſcriptum Eccleſiaſtici & canonici dogmatis, vnâ cum beatiſſimo *Eligio*, ſuſcepit, vno namque die apud *Rothomagum* ambo pariter ordinati ſunt, *S. Audoënus* eiuſdem vrbis Archiepiſcopus, S. verò *Eligius*, *Nouiomenſis*] Epiſcopus, anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo triceſimo quinto, pridie Idus Maias, Dominico die antè Litanias. Suſcepto verò Epiſcopatu qualem ſe deinceps

exhibuerit, quis pro dignitate explicare queat? A
aut quis tanta sermonis copia instructus est, vel
cuius oratio tantæ affluentiæ vbertate exundat,
vt omnes eius virtutes & rectè facta, ita vt par
est, dicendo consequi possit? Idem semper robustus permanens, & in virtutis studia continenter incumbens, in cœpto proposito constantissimè perseuerabat. Eadem in corde humilitas, eadem in vultu grauitas erat. Eandem pauperum curam & solicitudinem quàm prius re- B
tinebat. Eadem fraterna dilectio, eadem mentis constantia, illi permanebat: nisi quod Episcopalis dignitas, quæ aliis pompæ & fastus fomenta subministrare solebat, ei maioris abiectionis studium attulit: atque vnde alij ad tempus videntur extolli, id ille maioris humilitatis sibi materiam effecit. Christo semper subditus, deuotione armatus, doctrina præcipuus, pontificio honore dignus, in eo verò recusando hu- C
milis, in suscipiendo morigerus, exul spontaneus, fide plenissimus, erga Dei præcepta obediens, erga promissa credulus, peregrè locuples, industriâ solers, in opere docilis, spe longanimis, in colloquiis sapiens, consilio prudens, in castigandis hominum vitiis strenuus, in amando feruens, patiens in aduersis, fortis in periculis, mansuetus in disciplinis, largus in eleemosynis, in studiis assiduus, mortis medita-

A tione ſolicitus, in timore Dei eximius, religione magnificus, in celebrandis exequiis deuotus, miſericordiâ præclarus, ingenio excellenti præditus, iuſtitiâ inſignis, ſeueritate terribilis, promptus ad gratiam, paratus ad ignoſcentiam, humilitate ſummus, hoſpitalitate præcipuus, gregis ſui nutritor piiſſimus, paſtor Eccleſiæ prouidus, diſpenſator fidelis, moderator inſignis. Peccata ne ipſe admitteret cauebat, ab aliis ad-
B miſſa haud ſecus ac ſua lugebat, plebi ſalutares adhibebat admonitiones, & Chriſti eam præcepta docebat. Proteruos non armis vincebat, ſed patientia: ſuperbos, Chriſti iugo ſuauiſſimo ſubdebat. Semper erga pauperes obſequioſus, erga peregrinos diligens erat, quibus certè eiuſmodi præſtabat humanitatis & charitatis officia, vt niſi quis fundatam in Chriſto haberet mentem, non dignaretur vel æqualibus impen-
C dere, quæ ille perpetim luridis & abiectis hominibus exhibebat. Denique omni Pontificio faſtu poſthabito, populorum agminibus neglectis, principum ſpretâ frequentiâ, famulantium obſequiis poſtpoſitis, pauperum & captiuorum conſortiis delectabatur. Sed his diutiùs commemorandis immoror, quando vt verum fatear, nunquam quiſquam ea tempeſtate in bonis inchoandis ſtudioſior, nunquam in inchoatis perſeuerantior & conſtantior in *Galliis* fuit?

Poſſet

Poſſet enim quis vel rarò arripere, ſed vix aut A
difficilè perpetuò retinere. Hic verò quod ſemel propoſuit perpetuò retinuit. Quod Deo primùm vouit, id nullis mundi negotiis voluit obligatum. Quod initio arripuit ad finem vſque perduxit, in ieiuniis aſſiduus, in vigiliis pernox. Rigorem ſanè nimiæ abſtinentiæ ora pallida demonſtrabant, maxillæ lachrymis humectæ cordis contritionem prodebant. Lactea colla ferrei premebant circuli, ventrem & bra- B
chia ferrum æquè conſtringebat. Talia miles Chriſti in ſuo corpore ſtigmata circumferens, voluptatum illecebras & diabolicas perſuaſiones, Deo miſerante, facilè contempſit. Sciebat enim Dominum Ieſum Chriſtum, vt nos ab æternis pœnis liberaret, multo grauiora pertuliſſe, & multa martyrum millia, perſecutionis tempore, vincula, carceres, ignes, beſtias atque innumera tormentorum genera, Chriſti causâ, to- C
leraſſe. Eius quoque lectus non ex mollibus plumis pictísve tapetis, ſed ex aſperis virgultis ſternebatur: in eo corpuſculum ieiuniis & vigiliis defeſſum, ceu acceptam Deo victimam reponebat, ſecundum Apoſtoli præceptum, corpus ſuum exhibens hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, illud quoque eiuſdem Apoſtoli decantans: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reue-

A labitur in nobis. Ardebat verò ſummo ſtudio, monaſteria & loca ſacra per omnes *Franciæ* prouincias conſtruendi, maximè verò in propria diœceſi, vbi ſanè multa Cœnobia, eáque ampla & nobilia, à fundamentis condidit, non pauca verò, priorum Antiſtitum & Abbatum deſidiâ, neglecta, inſtaurauit. Imprimis autem ipſam matrem Eccleſiam, præ omnibus qui ante eum fuerunt Epiſcopis, rebus, opibus, theſauríſque
B plurimis locupletauit: atque inter alia ornamenta lectum fecit auro incluſum, ob amorem perpetuæ Virginis & ſanctiſſimæ genitricis Dei. Clerum quoque plurimum advnauit, eúmque Eccleſiaſticis diſciplinis mirabiliter imbuit, & in ſubminiſtrandis alimentis rebúſque neceſſariis, largum ſe illi procuratorem exhibuit. Xenodochia quoque & matriculas extruit, annonam ſufficientem illic habitantibus ſuppeditans.
C Eâdem curâ & diligentiâ vicos publicos & plebeias Eccleſias fundauit, vel etiam reparauit: nec vlla Diœceſis in cunctis *Galliarum* prouinciis, eius temporibus, *Rothomagenſi* diœceſi, in pietate & deuotione, erga Deum & religionem, æquiparari, nedum anteferri, potuit. Tantus enim ibi erat numerus Cœnobiorum, diuerſi ſexûs, putâ monachorum & monacharum, quæ ad eius inſtitutionem, tanquam diuinæ ſationis meſſes quædam, ſubito enituêre, vt & multitu-

dine & religione, *Ægypti* monaſteria, ab *Anto-* A
nio quondam inſtituta, æquare viderentur. Ipſe
verò ſine intermiſſione verbum Dei prædica-
bat, inſtans ſecundum Apoſtolum opportunè,
importunè, arguens, obſecrans, increpans, cum
omni patientiâ & doctrinâ. Inter cætera autem
virtutum miracula, quæ idem egregius Præſul
effecit, illud omninò prætereundum non eſt,
quòd illuſtrem virum *Vuaningum*, ſuâ oratione,
optatæ ſanitati reſtituerit. Fuit ille *Vuaningus* B
ſanè prædiues & potens, ſed morbo correptus
acerbo, in ecſtaſi multa impiorum ſupplicia
vidit. Cúmque eodem morbo adhuc premere-
tur, *B. Audoënus* Antiſtes, cùm priùs oraſſet, be-
nedictionem ei impertiit, & reddita illi eſt pri-
ſtina incolumitas. Hortabatur autem eum *Au-
doënus*, vt locum illum Deo dicaret. Admoni-
tus enim ille fuerat à *B. Eulaliâ*, vt in prædio
ſuo *Fiſcano*, vbi iamdiu decubuerat, ad ſancti C
præſulis *Audoëni* iuſſionem, Cœnobium extrue-
ret, ſimúlque indicatum erat ei viginti annis il-
lum in corpore victurum. Itaque vitæ redditus
& ad ſeſe reuerſus, clariſſimum Pontificem *Au-
doënum* orat, vt ad ſe venire velit, vnâ cum ſa-
cerdote Chriſti *Vuandregiſilo*. Adfuit verò etiam
Rex iuuenis *Clotarius Ludouici* iunioris Regis fi-
lius, inſigne illud, quod in *Vuaningo* perpetra-
tum erat miraculum, magno deſiderio cernere

A cupiens. Non ſolùm autem Rex, ſed & cuncti proceres, & omnis populi multitudo, qui cum illo aderant, viderunt, & Omnipotentis clementiam collaudarunt, Beatúmque *Audoënum* colere & venerari cœperunt. Tùm demùm *S. Audoënus*, vnâ cum *Vuaningo*, iam Deo conſecratum Cœnobium, nobiliſſimámque & beatam virginem *Childemarcham* Abbatiſſam, cum multis Deo ſacratis virginibus, ſancto viro B *Vuandregiſilo*, vt ſub eius eſſent magiſterio, tradidêre, quem olim *S. Audoënus* ſacris Ordinibus ornauerat, & cui à Rege *Clodoueo* locum, qui *Fontanella* dicitur, ad monaſterium conſtruendum impetrauerat. Eius, inquam, operibus bonis, & exemplis atque regularibus diſciplinis, monaſterium hoc docendum & inſtruendum commisêre. Atque his virtutum miraculis fulgens idem Chriſti miles, & beatus Præſul C *Audoënus*, cùm eſſet humilitate munitus, non nouerat extolli, immò verò oppida, rura, caſas, vicos, caſtella peragrans, cunctis vitam annunciabat & mortem, tormenta impiorum & iuſtorum gloriam. Si qua autem illi eſſet à concionibus intermiſſio, orationi vacabat, & terrenis curis abſolutus, mente cœleſtia contemplabatur. Et ſæpiſſimè quidem in cubiculo eius lux immenſæ claritatis cœlitus effuſa, à diſcipulis eius viſa eſt. Sed quia in Cœnobiorum

mentionem incidimus, opportunum arbitramur, vt quemadmodum locus, qui nunc *Crux S. Audoëni* dicitur, primitus ei ostensus est, hoc loco commemoremus. Cùm tempore quodam parochiam suam prædicando perlustraret, & per hunc ipsum locum iter ageret, curru vectus (non enim poterat nimio fessus senio iam equo vehi) muli, qui currum trahebant, subitò substitêre. Cúmque auriga flagello eos vrgeret ad procedendum, nullo modo inde eos potuit amouere. B Sentiens autem vir Dei, non sine nutu diuino, animalia manere immota, confestim sursum erectis luminibus, vidit Crucis vexillum multo splendore latè circumfusum. Cúmque Domino reuelante intelligeret, eum locum suo illum seruitio & cultui destinasse, mox reductis oculis conspicit hominem quendam arantem: accepto ergò eius stimulo figuram sanctæ Crucis efficit, eáque terræ infixâ, & C Sanctorum reliquiis ei impositis, discedit. Sole inde ad vesperam terras relinquente, columna ignea in eo loco per totam noctem visa est, tanto splendore, vt solis claritatem vincere videretur. Nec ea ab vno solo, sed à totius prouinciæ hominibus, conspecta est. Itaque confluxit eò hominum multitudo, offerentium Deo vota sua, diuersísque affecti morbis illic pristinam sanitatem recuperarunt, cæci visum, surdi

A auditum, muti linguæ officium, leprosi mundationem. In quo etiam loco *Leutfridus* Ecclesiam condidit, quæ in *S. Crucis* & Reuerendissimi *Audoëni* Pontificis honorem dedicata est, vbi hodiéque monachi non pauci, ad monasticæ regulæ præscriptum, Deo seruiunt. Nec illud intra silentij latebras abdendum est, quod de eo certum & compertum habemus. Iter illo quodam die per *Rothomagensem* parœciam fa-
B ciente, ad quendam locum venit haud procul à *Sequanâ* fluuio, apud Insulam *Belcionacam* situm. Ibi verò paululum se dixit velle quiescere, diuino haud dubiè instinctu admonitus: cúmque sancto sopore esset oppressus, Angelicis est colloquiis fruitus, atque in eodem quo quiescebat loco, vt in beati protomartyris Stephani honorem, basilicam ædificaret, admonitus. Accersito deinde *Ausberto*, qui per id tempus *Fontanella*
C Cœnobij, in cuius territorio locus ille esse videretur, Abbas erat, eius Ecclesiæ construendæ ei negotium dedit. Is verò clarissimi Pontificis votis fauens, sacram ædiculam, exiguo quidem, vt sese habet loci situs, sed eleganti tamen opere fabricandam curauit. Porrò eximius Pastor & egregius Pontifex *Audoënus* Xenodochium pauperum, ob memoriam nominis sui sempiternam, ibidem instituit, ac patrimonium quoddam, cui *Childriaci* vocabulum est, in

Dunensi pago situm, pauperibus eius Xenodo- A
chij, gratuita liberalitate largitus est, sciens scriptum, eam hæreditatem benè recondi quæ Deo custode seruetur. Alio etiam tempore cùm suas parœcias, verbum Dei, seminando, circumiret, venit in pagum *Constantinum.* Vbi autem ad monasterium *B. Marculphi* accessit, rogatus est à *Bernoino* eius monasterij Abbate, vt corpus *S. Marculphi* in alium locum transferret. Eius precibus vir Dei satisfaciens, transtulit sacrum cor- B
pus in absidem, cum hymnis & congruo honore. Postea verò petiit ab eodem Abbate, vt permitteret ipsi sumere quippiam de illo corpore. Abbate benignè assentiente, beatus *Audoënus,* caput *Sancti Marculphi* secum asportare statuebat. Sed eo istud meditante, ab improuiso reperta est in eius palmâ, chartula cœlitus missa, quæ illum admonuit ne caput Sancti *Marcul-*
phi à corpore separare ausus esset, sed aliis locis C
ex corpore eius reliquias pro voto acciperet. O virum Deo vsqueadeo dilectum, vt adhuc in terris degenti è cœlis epistolam scribere dignatus sit! Contigit verò in eodem pago, vt quendam illic lapidem insigni formâ videret, cúmque accuratiùs eum esset intuitus, ait, eum aptum & opportunum esse eorum vsibus qui equitandi curam gerant, atque eâ de causâ, optauit eum esse in *Brisniacensi* villâ. Cúmque

A eo inde recedente, quidam homo secularis, animo tumidus, id audisset, continuò misso plaustro lapidem illum ad se adduci iussit. Veniunt eius famuli, saxum plaustro imponunt, eum properè & expeditè, vsque ad biuium illud, cuius vna pars ducebat in villam *Brisniacensem*, altera ad villam hominis secularis, qui illud saxum sibi vendicare voluit. Vbi eò ventum est, ne passum quidem vnum boues se mo-
B uere potuerunt. Iungunt illi multa boum paria, sed cùm nihil proficerent, tandem amotis bobus, ad dominum suum, casso labore reuertuntur. Postquam verò id *B. Audoëno* renunciatum est, vocat *Anstardum* famulum suum in eadem domo seruientem, iubétque vt saxum ad villam adducat. Illo dicente se non nisi duas vaccas habere, eas iungere iubet. Paret ille iussis viri Dei, veniénsque ad saxum, vbi illud
C plaustro imposuit, tanta facilitate peruenit ad villam, ac si nullum illi plaustro onus impositum esset. Cùm autem saxum collocatum esset in eum vsum, quem vir Domini priùs dixerat, aliquanto pòst tempore, mulier quædam, ex animi leuitate, in illo sedere ausa fuit. Obiurgabant autem eam vicinæ circumstantes, quòd non verita esset insidere saxo *Sancti Audoëni*. At illa respondit: *Audoënus* homo fuit, sicut & ego. Nulla verò intercedente morâ, vltio diuina ver-
ba

ba superbiæ castigauit. Repentè enim oculo- A
rum eius orbes è suis sedibus exclusi sunt. In il-
lo enim saxo nulla femina sedere consueuerat,
posteaquàm à sancto viro, illic vt statueretur,
iussum fuit. Illud etiam cur reticeam celeber-
rimum miraculum, quod per eius diœcesim
multorum latè sparsit rumor & assertio? Quo-
dam tempore permultæ ranæ inconditis voci-
bus religiosi Antistitis auribus obstrepebant.
Iussit ergò sacerdos Dei vt conticescerent, ac B
reuerentiam sacræ orationi deferrent. Mox cir-
cumfusus ille strepitus conquiescit, licebátque
cernere paludes tacitas, & irrationalia animan-
tia per reuerentiam agnoscere, quod per natu-
ram ignorabant: cùm è diuerso tanta hominum
immodestia sit, vt pleriq. deferre nesciant men-
tium religioni, quod aurium voluptati defe-
runt. His atque aliis permultis miraculis insi-
gnitus licet Christi miles, beatus *Audoënus*, C
nescit tamen inflari. Inferiora enim despiciens,
terrenorum obliuiscens, alta cœlorum totâ
mentis intentione desiderans, pangens nunc ca-
stitatis, nunc temperantiæ modulos, sobrietatis
carmen, integritatis melos, quæ retrò sunt obli-
uiscens, & ad anteriora se extendens, tendebat
ad brauium supernę vocationis. Quis verò quam-
uis doctissimus, quamuis summa dicendi facul-
tate instructissimus, vel scripto explicare, vel

A ſermone commemorare queat, quanta diuinitus illi collata ſint miracula, *Galliarum Francorúmque* populo in exemplum relicta? Quis iter arduum & anguſtum, quo ille ad ſupernas properauit ſedes, poſſit imitari? Quis enim dicere auſus ſit, illum vnquam cibum aut potum ad ſatietatem accepiſſe, aut ſomno pluſculum indulſiſſe, cuius Angelicus vultus vigiliarum & ieiuniorum pallore cernebatur afflictus? Erat B ſanè erga omnes humaniſſimus, omnes miro complectebatur amore, adeò vt ſuum putaret lucrum, quicquid aliis gratiæ diuina benignitas contuliſſet. Aliorum profectibus lætabatur, aliorum pericula mœſtiſſimum illi pariebāt luctum. Gaudebat ſi quos didiciſſet ad ſumma proficere, triſtabatur ſi qui ad ima deuoluerentur. Itaque poſt fundatam in fide Eccleſiam, poſt doctrinæ fluenta, poſt tot ædificata monaſteria, poſt tran- C quillatum totius *Franciæ* regnum, vrbem *Romam*, caput orbis & Chriſtianæ religionis, quam Apoſtolorum principes ſuis corporibus ornant, Martyrum cateruæ ſacris oſſibus decorant, Pontificatum eius Vrbis tunc in annum quartum obtinente *Adeodato* Papa, adire tandem conſtituit. Cúmque hoc longè latéque fama vulgaret, vndique conueniunt ad virum Dei innumeri homines religioſi, auri argentíque pondera multa ei afferentes, ſimúlque obſecrantes,

vt ad corpora ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum, pro redemptione animarum ſuarum, ea deferri iubeat, partem etiam pauperibus illic ſuis ſacris manibus diſtribuat, ipſóſque ſuis precibus Chriſto commendet. Multi etiam venerabiles viri & Deo deuoti, vnâ cum illo proficiſci ſibi licere gratulabantur. In quibus erat S. *Sidonius* genere Scotus, extructor monaſterij, quod nunc per metonymiam *S. Sidonium* appellant. Stipatus igitur vir Deo dilectus, ſanctorum comitum turbâ, eleemoſynarúmque benedictionibus onuſtus, ad limina ſanctorum Apoſtolorum, hilaris, vt quondam vas electionis, cùm diuerſorum benedictiones in miniſterium Sanctorum Hieroſolymam apportaret, peruenit. Ad ſingulas autem Apoſtolorum & Martyrum memorias ſe proſternens, vota & ſupplicationes, tam pro ſe quàm pro totius Eccleſiæ Catholicæ pace, obtulit, lachrymas autem vberiùs quàm verba fundens. Vbicunque enim in oratione proſtratus iacebat, flumina lachrymarum pauimentum irrigabant. Deniquc cùm ad beati *Petri* confeſſionem hunc verſum inciperet, *Exultabunt Sancti in gloria*, diuinitùs reſponſum eſt, *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* Sed quis commemorare ſufficiat, quantâ liberalitate & munificentiâ, per Romanas Eccleſias & Sanctorum memorias, traditam ſibi pecuniam diſtri-

A fuerit? Cumulabantur altaria Sanctorum auro & argento, itémque pauperum manus implebantur, gaudebat vrbs tota eum, qui toto esset notus in orbe, ad se venisse. Et vt paucis expediam, adeò illius aduentu & beneficiis gratulabatur, ac si fidei suæ fundatores, coram, oculis corporeis intueretur. Absolutis verò apud loca Sanctorum diu optatis precibus, diuinis acceptis responsis, cum multarum reliquiarum suffra-
B giis, tandem venerabilis senex, altissimis *Alpium* iugis transmissis, in *Gallias* reuertit. Cùm autem ad suæ diœcesis fines peruenisset, omnes tam ciues quàm suburbani homines, maximo affecti gaudio, cateruatim illi occurrerunt, cum Crucibus & lampadibus, gratias agentes Domino, quòd proprium pastorem atque Pontificem ipsis incolumem restituisset. Iámque velox fama volans Regis perfertur ad aulam. Itaque Rex &
C Regina, cunctique palatij proceres, laudant creatorem, quòd tantus Antistes & tutor Regni, ipsis saluus esset redditus. Quid dicam de sacerdotibus & agminibus Monachorum? qui omnes vnanimiter in cœlum sublatis manibus canebant, Gratias agimus tibi Iesu Christe, qui exaudisti voces ad te clamantium, & reddidisti nobis pastorem animarum nostrarum, & corporum procuratorem. Ita ad sedem propriam reuersus, audit palatij Principes, quos autore Deo

Romam proficiſcens concordes reliquerat, in- A
ſtigante diabolo, iam diſcordiæ peſte correptos. Spiritalia igitur arma capeſſens, putâ vigilias, preces, ieiunia, ſpiritalem hoſtem è palatio pellere, & priſtinam concordiam inter commotos principes ſarcire conatur. Quàm verò multa, quàm grauia & alta ſuſpiria duxit, quàm multas moleſtias & afflictiones beata ſenectus pertulit, vt inter ſe conciliaret, quos inuidia diaboli in mutuas animorum acerbitates con- B
iecerat? Certè ne ſanguis humanus funderetur à Chriſtianis, libens ipſe mortem erat oppetiturus, non immemor illius Euangelicæ ſententiæ: *Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Nec labor tanti viri caſſus eſſe potuit. Principes enim pulſa diſſenſione, libenter amplexi ſunt amiſſam pacem. Iam verò regnante *Theodorico*, qui beatum virum non minùs quàm Reges ſuperiores charum habuit, inter reliqua eius C
beneficia, id ab eo præſtitum eſt *ſancto Audoëno*, vt in eius parœcia, nec Epiſcopus, nec Abbas vel Abbatiſſa, neque Comes, neque alius quiſquam iudiciaria poteſtate præditus, abſque eius conſenſu, rectorem vel ſucceſſorem conſtituere auderet, niſi quem vir ſanctus, vel de ſuis vel aliunde, pro vitæ merito, inſtituere vellet. Erat tum in eius quem diximus Regis palatio primaria dignitate vir illuſtris *Vuaratto.* Is

A filium habuit ſtrenuum & induſtrium, ſed animo ferum ac moribus aſperum, & ipſi parenti ſuo inſidiantem, *Giſlemari* nomen erat illi, nec deſtitit à conceptâ malitiâ, donec patrem ſuo principatu deiecit. Etſi verò obiurgaret eum *B. Audoënus*, quòd tantam nequitiam aduerſus parentem exerceret, at ille tamen, monita eius ſalutaria audire noluit. Sed non multò pòſt à Deo percuſſus impiiſſimam animam exhalauit, B quemadmodum ei vir Dei antè prædixerat. Ortâ autem diſcordiâ inter *Francos* & *Auſtraſios*, vir beatus componendæ pacis causâ *Coloniam* venit. Vbi cùm Martyrum monumenta perluſtraret, atque ſuo more reliquias ex eorum monumentis ablatas ſecum magno cum honore aſportaret, obuium habuit mutum quendam, qui iam annis vndecim nullum cuiquam verbum fudiſſet. Permiſit autem Dominus tot annis illum C ſic permanere, in famuli ſui *Audoëni* honorem, vt per eum facultas ei loquendi reſtitueretur, & diu tacens lingua in Chriſti laudes erumperet: illi ergò muto vir Dei ſignum crucis impreſſit, caput eius conſignans, móxque locuta eſt lingua tamdiu tacens. Tum verò inter diſcordes populos inſtaurato pacis fœdere, inde diſcedens in *Neuſtriam, Virdunum* peruenit. Cùm autem in eius vrbis Eccleſiam ingrederetur, mulier quædam dæmoniaca vexari cœpit miſera-

biliter, frendénſque dentibus, in virum Dei rapido curſu inuehebatur. At vir beatus manu caput eius ſtringens, ilicò dæmonem eiecit, ſanámque illam parentibus reddidit. Inde ad palatium veniens, quæ de conficienda pace proſperè geſſiſſet, cuncta explicauit. Sed iam tempus eſt, vt de pretioſiſſimi viri obitu, calamus noſter quædam annotet. Anno igitur decimoſexto Regni *Theodorici* Regis & *Crotildis* Reginæ, res palatij adminiſtrante *Vuarattone* ſubregulo, apud villam *Clippiacum*, vbi tum vir beatus de pace inter *Francorum* populos conſtitutâ nuntium attulerat, iam longæuæ ætatis ſenio confectus, in morbum incidit. Appropinquabat enim dies optatus, quo cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto, terráque relicta penetrare cœlos, & videre iam facie ad faciem, quod in ænigmate iampridem vidiſſet. Cúmque febribus corpus attenuaretur, & obitum ſuum iam imminere cerneret, obſecrabat Dominum, vt ſuas oues idoneo paſtori committere dignaretur. Denique hortabatur Regem, vt Abbatem *Ausbertum* ſibi faceret ſucceſſorem, quod & factum eſt. Poſtremò fuſis ad Dominum precibus, gregem ſibi creditum illi deuotè commendauit, atque ita ſpiritum reddidit in manus Creatoris cœleſtibus choris ſociandum, & gloria ſempiterna paradiſi fruiturum. Rexit au-

A

B

C

A tem *Rothomagensem* Ecclesiam, annos quadraginta & tres, menses tres, dies decem. Nonagenarius migrauit ad Dominum, nono Calendas Septembris, die Dominico, anno ab Incarnatione Christi sexcentesimo septuagesimo septimo. Completur interea luctu ingenti domus Regia, omnis palatina dignitas mœret, omnis sublimitas humiliatur, gaudium omne in lamentum vertitur, risus omnis excluditur, plangunt cuncti
B prudentissimum consiliarium, pacem populo Dei semper conciliantem, & humani sanguinis profusionem instantissimè amolientem, prædicatorem egregiũ, Monasteriorum fundatorem, pauperum consolatorem, Monachorum patrem, pastorem clericorum, hæreticorum persecutorem, regni tutorem & Ecclesiæ Catholicæ propugnatorem. Inter hæc verò patent iam beato Pontifici cœlorum palatia, secretorum arcana
C reserantur. Eius merita excedunt montium cacumina, eius sacerdotij dignitas superat altitudinem syderum. Sociatus iam choris Sanctorum, & legionibus Angelorum, glorificatus est inter arces Apostolicas, inter Patriarcharum & Prophetarum turmas, & in lucidissimis beatorum castris numeratus. Plebs vniuersa pium plangit pastorem, & miles Christi cum fiduciâ in Christo liberalissimo remuneratore exultat Rex, Regina, Palatij Proceres, non cessant à lachrymis,
& ille

&c illc eius fine cunctatione contendit faciem A
intueri, cui in hac vitâ fedulæ feruitutis officia
præftitit. Triftantur ciues &c vicini, &c *Audoë-
nus* laboris fui mercedem accipiens iucundiffi-
mè lætatur. Tunduntur manibus pectora, piis
ora rigantur lachrymis, &c beatus Antiftes fe
mundi nexibus gaudet abfolutum. Regni tu-
torem omnes expetunt, quem plateæ cœleftis
Ierufalem coronatum excepêre. O quanta fuit
tunc plaudentium Angelorum lætitia, &c tamen B
non mediocriter pium eft flere *Audoënum*, qui
vt cœleftem vitam duxit in feculo, ita modò
togatus gaudet in cœlo, &c in tabernaculis iu-
ftorum magnâ cum tranquillitate requiefcit,
ftipatus frequentiâ Angelorum. Poftquam au-
tem planctus paululum quieuit, Epifcopi qui
aduenerant, Rex, Regina, Maior-domus fiue
Magifter Equitum, cunctíque Palatij Principes,
beati viri corpus feretro imponentes, facras C
exequias concelebrarunt. Lætabantur finguli
&c in maximo lucro ponebant, fi corpus fancti
viri in humeros fuftollere liceret. Cúmque ad
pontem Ifaræ cum maximo honore &c digno fu-
neris ornamento, laudibus &c hymnis decantan-
dis, perueniffent, noctem totam in Dei laudi-
bus exegêre. Inde verò Regia dignitas, cum mul-
to animi dolore rediit ad fua, cernens ablatam
à fe Domini margaritam. Tum verò permultis

A Episcopis in vnum conuenientibus, adiunctisque venerabilib. Abbatibus, Sacerdotibus, Monachis & Clericis, itémque viris illustribus & turbis populorum, cum crucibus & lampadibus atque thymiamateriis, in *Volcassinensem* prouinciam sunt ingressi, summóque cum honore beatum corpus humeris gestantes, laudes & hymnos Deo canebant, non sine multis lachrymis respectantes feretrum pastoris sui. Ita demùm
B *Rothomagum* cum sacro corpore perueniunt, atque illic in *B. Petri* Apostoli basilicâ, loco, quem sibi ipsi præparauerat, decentissimè illud sepeliunt. Illa verò Basilica, in qua sancta eius membra quiescunt, miro opere, quadris lapidibus, Gotthicâ manu, à primo *Clotario Francorum* Rege, olim nobiliter constructa fuit, anno plus minus quarto & vicesimo regni eius, sedem *Rothomagensem* obtinente *Flauio* Episcopo. In qua
C etiam duæ eius vxores & Reginæ conditæ sunt, *Haldetrudis* & *Bertetrudis*, itémque *Dagobertus* filius *Sigeberti* Regis, quem totondit *Grimoaldus*, atque etiam *Childericus* Rex frater *Theodorici*, cum vxore *Bilhilde* & filia, quos ipse vir sanctus iam olim illic sepelierat, qui satellitum suorum *Amelberti* & *Vigoberti* insidiis, vitâ atque regno priuati fuère. Vbi Dominus Iesus Christus, meritis beati Præsulis *Audoëni* suffragantibus, multa virtutum signa, vsque in hodiernum diem, effice-

re non cessat. Ibi enim cæci illuminantur, leprosi mundantur, claudorum reformantur gressus, dæmoniaci curantur, & diuersi languores sanantur. Nec in eius duntaxat ea fiunt sepulturæ loco, sed in multis etiam prouinciis, quas vir Domini docendo peragrauit. Quæ si quis plenius nosse velit, perlustret *Galliam*, *Aquitaniam*, *Hispaniam*, *Italiam*, gesta Regum Francorum, vitam & actus beatissimi *Eligij* ab ipso conscriptos, vitas quoque venerabilium Abbatum & Confessorum temporis sui, atque illius ciuitatis scrinia, itémque Monasteriorum, quæ Reges & Reginæ permultíque alij viri religiosi, illo adhortante, construenda curarunt, perlegat. Quibus in locis Omnipotens Deus, ad honorem nominis sui, per merita sancti Pontificis, multa admiranda vsque in præsens operatur. Testantur ergo loca vbi ea fiunt miracula, patres matrésque docent liberos suos, magistri discipulos, senes iuuenculos, ob memoriam ad posteros transmittendam. Requieuit autem beatissimi viri corpus in eodem loco, quo conditum fuit, annis tribus & mensibus nouem. Posteâ autem visum est Antistiti successori eius, vt in locum editiorem illud transferretur, nempè ad plagam Orientalem altaris *S. Petri* Apostoli. Conuocatis igitur permultis Monachis, omníque Clero & Populo vrbis eius, & totius Prouin-

A ciæ, totam noctem in laudibus & hymnis peruigilem duxit. Finitis verò matutinis laudibus, cum choris modulantium, quorum vocibus cantúque ſuaui omnia circumſonabant, corpus ſacratiſſimum, à loco in quo humatum fuerat, cum multa veneratione, ipſo die Aſcenſionis Domini, tertio Nonas Maij, tranſtulit in locum prædictum, vbi nunc vſque honorificè illud homines venerantur. Fuit enim tam ab omni B corruptione alienum repertum, quàm olim fuerat virginea integritate conſpicuum. Fecit verò idem Epiſcopus ſuper eius ſepulchrum, fabricam quandam mirifici operis, in quam contulit argenti talentum maximum, auri plurimum, gemmíſque optimis eam exornauit. Atque intra illam condidit lectum, quem ſanctus *Audoënus* flagrantiſſimo ardore iuſſerat parari, atque intus & foris auro mirabiliter includi, vt in ho- C norem Domini Ieſu Chriſti, ad ſanctam Reſurrectionem, in Hieruſalem, perferretur. Sed ne id fieret, ſanctæ eius voluntati multa tum fuêre impedimenta obiecta. Quod autem ipſo tranſlationis eius die declaratum eſt miraculum, id paucis commemorandum eſt. Inciderat is quem diximus Epiſcopus in moleſtiſſimam corporis valetudinem, quam tertianam febrem vocant. Cúmque non mediocriter is eum morbus infeſtaret, ita vt mortem ſibi præ foribus

adeſſe ſuſpicaretur, ſubitò intra Miſſarum ſolemnia, coram Sacerdotibus, Clero & Populo, febre omni profligatâ, priſtinam ſanitatem recepit. Tum verò ſudarium de capite *B. Audoëni*, pro reliquiis manu ſua cum fide ſuſtulit, vnde & ipſi & quamplurimis aliis, Domino largiente, ſalus collata eſt. Fecítque ob amorem ſanctiſſimi viri, omnibus oppiparum conuiuium, & tanquam Chriſto aſſiſtens ambulando ſumebat cibum, & illis recumbentibus officiosè inſeruiebat. Porrò pauperioribus non ſolùm alimoniam, ſed etiam innumeram ſolidorum copiam diſtribuebat. Quanta autem veneratione proſequendus eſt hodiernus Antiſtitis noſtri *Audoëni* ſacratiſſimus dies, quo ille iunctus Angelis fruitur Paradiſi deliciis, & à nobis magno cum honore atque officioſiſſimè colitur tumulatus? Pauperes ſanè beatæ depoſitionis die in vnum collecti, laudabant Dominum, & gratias inceſſabiles agebant, quòd ipſorum bonus paſtor *Audoënus*, ſicut in vita duplicem ipſis alimoniam abundè præbuiſſet, ita poſt deceſſum ſuum tam magna eis prandia præpararet. Eius nos orationibus adiuti conemur totis viribus, illius vitam, fidem & mores imitari, vt mereamur ad coronam gloriæ, quam ipſe adeptus eſt, etiam nos quandoque pertingere, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum æterno Patre

A & Spiritu Sancto, viuit & regnat Deus in Trinitate perfectâ, & secula seculorum. Amen. FREDEGODVS *Diaconus apud* SVRIVM *die* XXIV. *August.*

NOTÆ.

P.24. a. TEMPORIBVS CLOTARII *clarissimi Principis*, &c.] *Clotarius* eius nominis II. cognomento Magnus, qui puer regnare cœpit ab an. 584. Hunc de fonte suscipiens *Guntramnus* patruus, & *Clotarium* appellans, sic precatus ei fuerat: *Crescat puer, & huius sit nominis executor, ac tali potentiâ polleat, sicut ille quondam, cuius nomen indeptus est.* Et certè *Clotarius* excelsi animi virum significare dicitur, ídque nostris fuit, quod Græcis *Euander.* De illius pietate relegenda *S. Columbani* Acta.

Ibid. ANNO *plus minus vicesimo*, &c.] Imò longè minus, si enim an. 677. quo mortuus Audoënus tum nonagerius, detrahantur ipsi 90. anni, reliquus erit ann. 587. adeóque ipsius *Clotarij* tertius, quem si in vicesimum computaueris, erit ætatis Audoëni 17. quâ ætate in domo parentum perstitisse non crediderim. Ipse puerulum, se habitasse apud Regem in vitâ *S. Eligij* profitetur. Et hæc ipsa narratio eidem calculo repugnat. Sed de his posteà.

SANCIACVM, &c.] Dicere- mus vulgò *Sancy.* Is viculus est, ni fallor, qui hodie *S. Ouïn* in agro Suessionum audit. Ibid.

DADO.] Hic noster, qui & *Audoënus*, vt satis constat ex reliquâ narratione. Verùm & ipse in Actis *Eligij*: *Elegerunt autem cum eo &* Audoënum *sodalem eius, qui vocabatur* Dado. Vtrumque in Regiis diplomatibus quæ subscripsit recognoscere licet, quamplura Tabularium Dionysianum exhibet. Nobis autem *Audoënus* est *Ouën* vel *Ouïn*, vnde insolito exemplo Ferrarius Latinum Ouïni nomen formauit. Ib. b.

PATRE *Autbario*, &c.] Sequitur parentum *Audoëni* peregregia laudatio, quæ in mentem reuocat Ambrosianum illud: *Docet nos Scriptura diuina, non solùm mores in iis qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari: vt veluti transmissa* Ibid.

immaculatæ puritatis hæreditas, in iis quos volumus laudare, præcellat.

P.25. b. COLVMBANVM.] Acta eius ex fide perscripsit *Ionas* patriâ Scotus, discipulus eius ac postmodùm Abbas, qui & SS. *Attalæ Eustasij & Bertulphi* Vitas quæ in collectione Surianâ extant, edidit. Quin & *Burgundoforæ* Virg. Acta, quæ nonnulli Bedæ, alij Ionæ tribuunt. De Iona post alios Vossius de Historic.Lat.l.2 cap.26. Et quidem *Columbani* Acta in diem Nouemb.xxi.consignata sunt.

Ibid. LVXOVIENSIS *in Galliâ*, &c.] Luxouium *Luxeiul* famosissimum Burgundiæ monasterium, quod ille *Ionas* Abbas eleganter describit. *Lussedium* Audoëno nostro, in Actis Sancti *Eligij*, quorum hic sanctæ conuersationis ardens desiderio *Luxouium*, quod erat eo tempore cunctis eminentius atque districtius, frequentabat, ille monasterij eiusdem laudes stilo non semel prosequitur. Sed de *Luxonio* relegendi recentiores Miræus, Chifletius, Robertus & alij.

Ibid. BOBIENSIS *in Italia*, &c.] *Bobium*, popularibus *Bobi* & *Bobio*, ex Cœnobio excreuit in Vrbem. Situs illi ad Trebiam fluuium inter montes, xxxv. milliaribus suprà *Genuam*, ad cuius diœcesim pertinet. De illo *Ionas* Scotus in *Columbano* & *Attala*.

Ib.5. ACCIDIT *autem iisdem temporibus*, &c.] Si ad vicesimum annum *Clotarij* Regis, fuit is ab aduentu *Columbani* decimus tertius. *Clotarius* enim integram Monarchiam recepit ann. 614. quod ante tres annos beatus vir, cum *Theodorici* regno pelleretur, prædixerat, adeóque in an. 611. eius eiectio conferenda, is autem erat vicesimus ab aduentu eius in Burgundiam. Venit ergo primùm ad ann. 591. à quo ad ann. 604. qui vicesimus Clotarij, omninò sunt anni tredecim. Verùm hæc accuratiùs expendere non est huius loci. Constant ea tamen sibi, si Acta sunt sincera & minimè deprauata.

P.26. a. DE DONO *Agnerici*, &c.] Paulo aliter *Ionas* in *Columbano*: *Deinde autem*, ait, *ad* Meldense *oppidum properat, quo cum vir quidam nobilis nomine* Channericus Theodeberti *conuiua vir sapiens*, &c. Pater is SS. Pharonis, Pharæ, &c. Relegendus Ionas in Actis Eustasij, & Reginaldus noster in Vita S. Pharæ, vbi hæc diligenter expendit.

Ibid. AD VILLAM *quandam in littore*, &c.] *Ionas* similiter hæc describit. *Vulciacum* autem est villa quæ hodiè, *Voy* vel *Hussy*, pro *Vulcy* audit, in ripâ dextrâ *Matronæ* infrà *Firmitatem-Auculphi*, per decurrentem *Meldas* pergentibus.

P.27. a. MONASTERIVM *Iotrense*, &c.] Corruptè in editis, *Lobariense*, castigationis fides con-

ſtat ex Aimonio lib. 4. cap. 41. Longiùs etiam abit Ionas cùm ſcribit, póſtque intra *Iurani* ſaltus monaſterium ex Beati regulâ *Columbani* conſtruxit. *Iurani*, quod nunc *S. Claudij*, fundatio, ad *S. Eugendum*, à quo & nomen antiquitus habuit, refertur. *Iotrum* autem, nobis *Ioarre*, nunc eſt feminarum celebre quidem ac nobiliſſimum monaſterium, quo de videſis Miræum, Robertum & alios.

Ibid. AD MATRONÆ *fluuium.*] Hinc omnis faceſſit ambiguitas de *Iurenſi* aut *Iotrenſi* monaſterio. *Iotrum* in editiori colle iuxta *Matronam* ad eum flexum cui *Firmitas-Auculphi* inſidet. *Matrona* nobis eſt *Marne*, fluuius multi nominis, de quo relegi poteſt Maſſonus in Deſcriptione Galliæ per flumina.

Ib.b. RADO *verò*, &c.] Et de huius nomine *Radolium* eſt Cœnobium ad ripam ſiniſtram *Matronæ*, quod digreſſis *Firmitate-Auculphi* viâ publica occurrit, adeòque *Iotrenſis* montis planitiem obtinet. Huius equidem memoriam ſcriptori noſtro excidiſſe miror.

Ibid. THESAVRORVM *regalium ſummus procurator.*] Fiſco Regio Præpoſitus, qui hodiè *Intendant*, ſiue etiam *Sur-Intendant des finances*.

Ib.c. AVRICVLARII *locum & munus.*] Auricularium, Annuli cuſtodem, Silentiarium, Apocriſarium hic noſter pro eodem accipere videtur, nos de ſingulis in Sylloge Criticâ quæ ſequitur inquirimus.

ET ASSIDVE *ſanè hortabatur Regem,* &c.] Digna quæ obſeruetur Audoëni adhortatio, cuius animum vt qui Regibus aſſident imitentur deſiderandum eſt. Quomodo autem Reges ſpecialiter Deo ſe probare teneantur, & quid eos ad eam rem doceat Eccleſia, meminit S. Aug. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 92. Et quidem Regum Inſtitutio commodè repeti poteſt, ex libello qui Via Regia inſcribitur, quémque Binius ſuæ Conciliorum editioni præfixit. Hoc enim eſt antiquum Chriſtianæ pietatis monumentum, reliquos tractatores nihil moror. *P. 28. a.*

BEATI VIRI SODALIS ELIGIVS.] Id ipſe luculenter teſtatur in Actis Eligij, quæ pignus ſanctæ inter eos neceſſitudinis multis modis teſtatum faciunt. Cæteri penè omnes ſcriptores hanc eorum indiuiduam amicitiam celebrant. *P. 29. b.*

MONACHVS POTIVS, *quàm laicus habebatur.*] Idipſum de ſuo Eligio prædicat, multíſque documentis demonſtrat. Relegenda præcipuè quæ de *Solemniacenſi* monaſterio, cuius conditor *Eligius* fuit, & de *Luxouienſi* quod frequẽtabat, ſcribit. O quantũ hodierni mores ab antiquorum Patrum ſtudiis alieni! *P. 30. a.*

IN

Ib.b. IN BRIGIENSIS *sylua recessibus.*] Aimonius l. 4. c. 41. intra *Brigensem saltum*, & is, *Brigeium* in Testamento *Dagoberti* Regis, *Briga* & *Brige* apud Bedam, & alios. Inde nomen toti regioni, quam nunc *Briam* vocamus, quæ longè protenditur extra illius saltûs limites. *Iotrensis* saltus, in quo *Audoëni* frater maior Cœnobium construxit, *Brigensi* est coniunctus: quòd autem pro *Iotrensi* apud Aimonium Vodrensis legatur, potuit in causâ esse conficti *Iurensis*, vt dicebamus, monasterij, ipsum enim & *Virense* aliquando dicitur.

Ibid. b R'ASBACIS *fluuioli* &c.] Aliàs *Resbaces* & *Resbasses*, & in Actis quidem *S. Pharonis Meldensis* ad 28. Octobr. torrens, non fluuius, aut fluuiolus nominatur, quod magis conuenit.

Ib.c. HIEROSOLYMAM *voluit dici.*] Aimonius vbi suprà, *quod* Hierusalem *ab eo quidem est nominatum, sed à fluuiolo super quem est situm,* Resbacense *nunc dicitur Cœnobium.* Relegēdus Robertus in Abbatiis Galliarum, qui plures, & ipsos si lubet relegendos, laudat. Videsis & Ionam in Eustasio. *Resbacum* hodie, nobis *Rébes.*

P. 31. a. AGLIVM *nomine illis præfecit.*] *Agilus* dicendus est, qui hîc *Aglius* corruptè legitur. Bellouacensis l. 23. c. 101. nominis rationem reddit, *Propter celeres,* ait, *motus infantiæ* Agilum *parentes nominauerunt.* Ita de nomine dubitari nequaquam potest. Filius autem fuit *Agnoaldi* fratris *Agnerici*, de quo in antecessum, adeóque patruelis SS. *Pharonis*, *Pharæ*, & aliorum. Consule vitam *S. Eustasij* Abbatis, & Acta ipsius *Agili*, quæ Vincentius Bellouac. collegit, digna planè quæ relegantur. Vide Acta *Philiberti* ad 20. Aug. vbi quoque perperam *Aglius* pro *Agilo*.

IN CVIVS *regni exordio.*] *Clodoueus II.* regnare cœpit an. 644. *Monothelitarum* hæresis ab an. 630. & quod excurrit per Orientem inualuerat. Et hic equidem autor noster sibi ipsi aduersatur, cùm scribit, *Audoënum*, atque *Eligium* an. 635. ordinatos, nondum tamen Episcopos Monothelitam hæreticum in Synodo refutasse, cùm tamen Monothelitarum hæresim ad initia *Clodouai* referat. Vt enim quæ hîc dicit, bonum sensum, & commodam interpretationem habere possint, ex iis quæ sequuntur, ita perplexa fiunt, vt nulla subeat eorum extricandorum ratio. Ib.c.

IMPERATORIS *Constantij tertij.*] Legendum *Constantis*, qui cœpit imperare ab an. 642. Sed frequens apud antiquiores Scriptores in his nominibus hallucinatio. P. 32. a.

B. MARTINO *Pontifici* Ibid.

Romano.] Non sedit *Martinus* nisi ab ann. 649. quid ergo censendum de ordinatione *Audoëni?* Rem ipse ita narrat in *Eligij* Actis, vt culpâ vacet noster, qui ab eo tantùm mutuatus videtur. Omninò conuenit, vt eum ipsum audiamus: Dagoberto *successit in regno filius eius iuuenculus ætate, nomine* Clodoueus. *Sub huius regni principio nefanda hæresis in partibus Orientis cœperat pullulare,* Constantio *tunc Romani Imperij apicem gubernante. Ij ergo hæresiarchæ nequiter Ecclesiasticam ausi sunt violare regulam, & peregrina quædam à veritate docere, ac prædicare, asserentes Dominum & Saluatorem nostrum* Iesum Christum *minimè habere formam serui, neque eum ex* Mariâ *veram assumpsisse carnem, profanis vocibus garriebant. Quæ res plurimos in Ecclesia Dei perturbabat, & plerosque iam contagium huius pestiferæ assertionis infecerat: nec solùm vrbes, in quibus morabantur, sed & vrbem, quæ est caput omnium, Romam paulatim iam eorum prauitas penetrabat. Erat autem eo tempore Romæ Præsul beatissimus Papa* Martinus, *qui sollicitè, & viriliter pro hac causâ inuigilans, adeòque pugnans, multa probra, & aduersa ab hæreticis sustinebat. Vnde tandem permotus, cùm & Imperatorem, & plures alios cerneret eorum assertionibus intento satis animo obsecundare, congregauit Concilium Sacerdotum, causâ compescendi, imò delendi huius dogmatis prauitatem. In quo Concilio, omnibus Orthodoxis consentientibus, edidit contra hæreticos fidem magnificè valdè, atque acuratè. Quam etiam cum subiunctâ epistolâ, Galliarum partibus destinauit, mandans & obtestans Regem Francorum, vt si essent ei viri Catholici eruditi, eos ipsi adminiculum ad hæresim comprimendam faceret destinari. Quò tunc etiam Eligius cum sodali suo libentissimè perrexisset, nisi ei res quædam impedimento fuisset.* Deinceps in laudationem sanctissimi Pontificis *Martini* excurrit, résque ab eo gestas pro fidei defensione ita commendat, vt nemo sanctissimi Pontificis memoriam studiosiùs prosequutus esse videatur. Quod autem de Synodo Romanâ commemorat, difficultatem auget de tempore quod inquirimus, habita enim est anno primo *Martini* Pontif. hoc est 649. Apud Binium quidem inscribitur anno 642. cui supputationi si *Martini* Pontificatus accommodari posset, aut non repugnaret quidem, omnia quamoptimè conuenirent, vt ex iis quæ habemus dicenda, magis dilucescet.

HAVD MVLTO POST *tempore quidam,* &c.] Siue, *Per idem ferè tempus,* vt habet *P.* 33. a.

Audoënus noster in *Eligio*, ex quo vt huic loco lucem concilie-mus eiusdem rei narratio descri-benda: *Quidam hæreticus pulsus à partibus transmarinis, in Gallias venit, móxque se conferens ad ciuitatem, quæ olim Ædua, nunc* Augustodunum *vocatur, cœpit tam cautè, quàm fraudulenter sua nefanda dogmata prodere. Quod cùm in palatio ad aures* Eligij *peruenisset, cœpit vigilanter (vti semper in eiusmodi rebus solicitus erat) cum* Audoëno, *& cæteris Catholicis viris tractare, quemadmodum hanc pestem palàm omnibus manifestatam detegerent. Nec destitit Episcopos commonere, & Optimates, quousque iussu principis Sacerdotale Concilium apud vrbem* Aurelianensem *congregaretur. Vbi eo, quem diximus, hæretico in medium deducto, conabantur eum docti quique diuersis modis interpellare, sed nullo poterant genere concludere. Tantâ quippe dicendi arte obiectis quæstionibus occurrebat, vt vbi maximè putaretur constrictus teneri, ibi ceu anguis lubricus quibusdam foraminibus dilapsus, eorum se fronti opponeret. Cúmque nullo genere à quoquam posset concludi aut superari, extitit quidam ex nostris, pro Dei prouidentiâ, doctissimus Episcopus, nomine* Saluius, *qui ita ei in omnibus obuiauit, vt ingens eâ causâ nostris fieret gaudium, & expectatio. Omnes enim eius versutias & artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam dissimulare conabatur, frequenti disputatione palàm funditus detexit. Sicque aduersus eum omnium Episcoporum prolata sententia, & per singulas ciuitates, super eius nomine decretis constitutis, cum ea, qua par erat, ignominia, & dedecore, è finibus Galliarum eliminatus est.*

SYNODALEM *Conuentum Sacerdotum*, &c.] Sirmondus eam Synodum in ann. 645. *Clodouei* Regis II. confert, quod congruit his, quæ habemus de initio regni *Clodouei*, & *Eligio*, atque *Audoëno* necdum Clericis, sed nullatenus conuenire potest cum iis, quæ de *Martino* Papa, & Synodo *Romanâ*, quæ præcesserit, Audoënus profitetur. Ib. b.

B. SALVIO *Episcopo*.] Floruerunt *Chilperico* Rege *Saluius Albiensis*, & *Saluius* alter *Ambianensis*, Episcopi: sed vterque ad hoc tempus non superuixit, de *Albiensi* constat ex Gregorio Turonensi, cui *Saluius* præmortuus: de *Ambianensi*, ex Actis *S. Vualerici*, ex quibus manifestum fit *Bertharium Saluio*, *Clothario* Magno iam regnante, successisse: deinde neuter martyr. *Saluius* autem, qui *Carolo* Magno imperante, martyrium fecit apud *Valentianas*, turpiter cum *Ambianensi* confunditur, & ex tempore palam est multò Ib. c.

iuniorem fuisse. De *Saluio* igitur Episcopo nihil mihi liquet, quòd noster martyrem esse vult, error est eorum, qui longiùs à tempore *Caroli Magni* scripserunt. Et quidem si *Fridegodus* pro autore horum Actorum habeatur, post annum 9co. scripsit, adeóque post centum, & plures à Carolo Magno, sin verò alter est autor, etiam minorem ætate *Fridegodo*, vel ex hoc se non difficulter approbabit: nisi quis irrepsisse Martyris nomen ex glossemate maluerit.

P. 34. a. VIDENS AVTEM SIMONIACAM *heresim.*] Rem ipse disertiùs enuntiat in Actis *Eligij*: *Illis diebus immaniter Simoniaca heresis pullulabat in vrbibus, & cunctis finibus regni Francorum, maximéque à temporibus* Brunechildis *infelicissima regina, vsque ad tempora* Dagoberti *Regis violabat hoc contagium fidem Catholicam. Soliciti tamen contra hoc inuigilabant sancti viri,* Eligius, & Audoënus, *communi cum cateris Catholicis viris habito consilio, suggesserunt principi, & optimatibus eius, vt hoc mortiferum virus citò extirparetur à corpore Christi, qua est vniuersalis Ecclesia. Habuit itaque effectum eorum pia petitio, & libenter obtinuerunt quod deuotè rogauerunt. Tunc ergo placuit omnibus, vno in Spiritu Sancto accepto consilio, simul cum Regis imperio, vt nullus pretio dato ad Sacerdotale officium admitteretur: neque eos, qui vt lupi rapaces dando munera mercanda censebant dona Spiritus Sancti, sed illos potiùs, qui essent boni testimonij viri, & irreprehensibilis vita ad Pontificatus ministerium eligerent.*

DEFVNCTO ROMANO, &c.] De *Romano* diximus quoad licuit in antecessum. Ib. c.

TRANSMISSIS NAMQVE *Sequana, & Ligeri*, &c.] Ipse rem verbo expedit in Actis Eligij: *Audoëno*, ait, *à partibus Transligeritanis reuerso.* Hispaniarum non meminit, quas tamen videri potest eo verbo comprehendisse. Addit autem de seipso Audoënus: *iámque eo Presbytero* à Deodato Matiscensis *Vrbis Episcopo, ordinato.* Deodatus is decimus inter *Matisconenses*, siue *Matiscenses* Episcopos numeratur, & quidem ipse *Cabilonensi* Concil. ad an. Christi 650. *Clodouei* II. Regis 6. cum *Audoëno* interfuisse inuenitur. P. 35. b.

VNO NAMQVE DIE *apud Rothomagum*, &c.] *Audoënus* ipse in *Eligio*: *Conuenientes igitur simul in ciuitate* Rothomagensi *quarto-decimo die mensis tertij, anno tertio* CLODOVEI *iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter caternas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium consecrati sumus gratis ab Epi-* P. 38. c.

scopis pariter Episcopi, ego Rothomago, *ille verò* Nouiomo.

Ibid. ANNO DOMINICÆ *Incarnationis 635.*] Falsi conuincitur hæc epocha ex designatione Audoëni, de qua iam iam dicebamus, *Clodoueus* II. regnare cœpit an. 644. atque adeo tertius regni eius erit 646. quo *Audoënus* in Episcopum ordinatus fuit. Et de tertio quidem anno *Clodouei*, assentitur autor vitæ *S. Vuandregisili*, quæ apud Surium ad XXII. Iulij. Accedit, & indubitatus ex Paschate calculus, anno nimirùm 646. Pascha in 9. Aprilis diem incidit, litterâ Dominic. A. Ascensio, quod consequens est in 18. Maij, ac proinde Dominicus dies præcedens in 14. eiusdem mensis, qui est tertius apud *Audoënum*. Quæ omnia calculo *Audoëni* quamoptimè conueniunt. Idem Paschalis computus huic autori nostro fauet, sed reliqua longiùs absunt ab eius calculo. Vnus me scrupulus premit de Synodo *Romanâ* aduersus Monothelitas, quæ *Aurelianensem* præcesserit, in quâ tamen *Audoënus* nondum Clericus comparuit.

Ibid. DOMINICO DIE *ante Litanias.*] Ex *Audoëno* vbi suprà, sed & *Audoënus* antè præmiserat, *eo tempore, quo apud Gallias à cuncto populo Rogationes celebrantur*, quod est explicatius. De Rogationibus verò, earúmque origine alij.

SVSCEPTO VERÒ *Episcopatu*, &c.] Ibid. Tota quæ sequitur *Audoëni* laudatio, ea ipsa est, quam tribuit *Eligio*. Nec temerè factum vt ab autore exscriberetur, in *Eligio* enim seipsum haud dubiè repræsentauit.

RIGOREM *sanè*, &c.] Huc P. 41. a. vsque *Audoëni* orationem perduxit noster, vnde incipit mores eius singulares exponere, dignos equidem, qui altâ mente perpendantur.

ARDEBAT *verò summo studio*, &c.] P. 42. a. Eo quidem, & iam olim incensus ad illud vitæ propositum multos inflammauerat, & omni fauore iuuerat. De *Angadrisma*, quam consecrauit, dicemus in *Ausberto*. Sed & *Austreberthám* similiter ab eo consecratam, ex eius Actis ad x. Februar. certa res est. De B. *Geremaro* Acta eius testantur, non ipsum modò ab *Audoëno* nostro monachum institutum, sed & *Flauiacum* monasterium, in quo *Geremarus* Abbas præfuit, designasse, ac necessariis instruxisse. Non vacat autem plura colligere, quæ Sancti Antistitis studium in hoc instituto propagando, nimium quantum demonstrant. Nonnulla certè in progressu subindicabimus.

ILLVSTREM *virum Vuaningum*, &c.] P. 43. a. In Actis *S. Vuandregesili* Abbatis *Fontanellæ* : *Adiutor præterea huius operis* (Fontanellensis nimirùm Cœ-

nobij) *& cooperator insignis* Vuaningus *vir illustris extitit, qui viro Dei* (Vuandregisilo) *plurima prædia felici munere ad vsum seruorum Christi deuotè contulit, filiúmque suum*, Desideratum *nomine, sub regimine prædicti patris, in eodem loco monastica disciplina, & Christi militiæ tradidit vacaturum. Erat is* Vuaningus *ditissimus, & multimoda Cœnobiorum habitacula in possessionibus propriis construxit. Ex quibus vnum est, quod vocatur* Fiscanum. Pergit verò *Fiscanensis* Cœnobij fundationem commemorans, vbi tamen *Vuaningi* sanitatem B. *Vuandregisilo* acceptam fert. Sed præstat orationem eius recolere: *Quo in loco dum moraretur*, ait, *excessum mentis subitò passus est, ostensaque sunt ei pœnæ damnatorum, & felicitates iustorum, audiuitque diuinitus viginti annorum spatio ipsum victurum, idque impetrasse à Domino sanctam Christi martyrem* Eulaliam, *cui precibus se sedulis commendare solitus erat.. Sed & ipsa Christi martyr ei apparens, commonuit, vt in prædicto prædio, quo morabatur monasterium construeret, & de suâ stirpe nulli regendum committeret. Quâ reuersâ ad superos, virum Dei* Vuandregisilum *accersiuit, & ordinem ei visionis exposuit: simulque à febre, qua premebatur, eius precibus curatus, optatam recepit sospitatem, prædictúmque Cœnobium, vt monitus erat, illicò construere cœpit.*

ADFVIT ETIAM *Rex iuuenis Clotarius*; &c.] *Clotarius* III. qui regnare cœpit ab an. 660. Dicitur autem hic *Ludouici* iunioris, id est, *Clodouei* II. filius. Ib. c.

B. VIRGINEM *Childemarcham*, &c.] Autor Actorum *S. Vuandregisili* paulò copiosiùs, & ad Childemarchæ notitiam disertiùs, *Erat tunc temporis*, ait, *apud* Burdegalim *vrbem Virgo Christi* Hildemarcha, *cuiusdam monasterij Sanctimonialium sanctissima gubernatrix, ad quam quidam vir Dei, monachus ac diaconus*, Sindardus *nomine, cùm propter vtilitatem seruorum Dei in illas partes mitteretur, causâ hospitij declinare solitus erat. Cui illa intimauit in visu se esse commonitam, vt tellurem adiret* Rothomagensem, *virúmque Dei* VVANDREGISILVM *inuiseret, atque sub illius regimine diuinis pareret edictis. Quæ, sicut in eius scribitur gestis, ad Christi famulum perueniens, ab illo ad illustrissimum virum* Vuaningum *perducta est. Is verò prædictum Cœnobium* Fiscanum *per testamenta tradens beato* Vuandregisilo, *eius suasu eidem religiosissimæ Virgini tradidit gubernandum. Cuius vitam ac laudabilem conuersationem libellus, qui de eius scribitur Actibus, li-* P. 44. a.

quidò narrat. Verùm Acta illa hactenus desiderantur. Liquet verò, tum ex nostro, tum illo altero Actorum *S. Vuandregisili* autore, *Fiscanum*, quod nunc virorum est, primùm feminarum fuisse Cœnobium. Et certè is ipse de *S. Vuandregisilo* scriptor eidem penè æqualis significat non diu *Fiscanum Vuandregisilo* paruisse.

Jb. b. QVEM OLIM S. AVDOENVS *sacris ordinibus ornauerat.*] Acta *S. Vuandregisili*: *Peruenit ad celebrem urbem* Rothomagensem, *summâ reuerentiâ à Venerabili Antistite* Audoëno *exceptus. Qui memor prioris coniunctionis, & societatis* (Vuandregisilus enim sub Dagoberto Rege Comes Palatij fuerat, quo in officio Cancellario Audoëno satis innotuerat) *nobilissimaque eius originis, sed & pia ac Deo digna religionis, aliquamdiu eum secum in Vrbe retinuit, & secundi ordinis honore ampliauit, Subdiaconum eum creans valdè reluctantem, sicut & processu temporis Leuitici ministerij onus ei imposuit. Quo feliciter administrato, non multò post ad Sacerdotium, licèt renuens, iussu eiusdem beatissimi Præsulis* Audoëni, *à venerabili* Autmaro *Pontifice vrbis* Taruannæ *consecratus est.*

Jbid. CVI A REGE CLODOVEO *locum, qui* FONTANELLA *dicitur*, &c.] De *Fontanella* dicemus in *Ausberto*. Quòd eum locum à *Clodoueo* impetratum noster meminit, admonet de tempore, quo in Actis *Vuandregisili* prima eius Cœnobij origo adnotatur: *Cœptum est hoc opus* (habent illa) *an. Dom. Jncarn. 645. sub die Calendar. Martiarum Indict. 3. qui erat annus Clodouei Regis vndecimus, obtinente sedem Romanæ Ecclesiæ beatissimo Papa Martino*. Conuenit quidem ann. Christi 645. Indictio tertia, sed reliqua planè dissident. Martinus Papa, quod antè diximus, nonnisi an. 649. sedere cœpit. *Clodouei* II. vndecimus annus cum Christi 655. concurrit. Mallem legere in Actis *Vuandregisili* an. 654. si aliundè nihil repugnaret. Certè vt alia taceam, non potest stare cum Indictione tertiâ.

LOCVS QVI NVNC CRVX S. AVDOENI, &c.] Acta *S. Leufredi*, quæ Surius descripsit ad XXI. Iunij apprimè ad huius loci fidem, & lucem faciunt. Sic igitur illa: *Egressus vrbe* Leufredus *Spiritu Sancto duce, deuenit in fines* Madriacensis *pagi, ad locum quidem virtutibus insignem, nullis tamen habitaculis adornatum. Dudum namque cùm vir Domini* Audoënus Rothomagensium *Antistes, Spiritu Sancto plenus diuersas prouincias peragrans verbum Dei disseminare non cessasset, iámque graui senio confectus equitare non valeret, vsus est vehiculo, in quo ia-* P. 45. a.

centem eum duo muli vehebant. Quodam igitur tempore cùm sic incederet, accidit vt transiret per vallem illustrem iuxta fluuium Auctaram, *vbi via erat ab occasu in orientem, porrò alia via ducebat à meridie in septentrionem: dúmque super ipsum locum, vbi via in similitudinem Crucis iungebantur, vehiculum sancti viri peruenisset, illicò tanquam terrore diuino animalia substiterunt, nec à loco moueri potuerunt. Tunc vir Domini non absque mysterio rem tantam fieri sentiens, familiare cum Domino secretum iniit. Et ecce respiciens in cœlum vidit signum sanctæ Crucis miro fulgore radians, statimque animaduertit vir Deo plenus, resplendente cœlo ad terram, & terra ad cœlum, quòd locus ille futuris temporibus Crucifixi D. N. Iesu Christi veros cultores habiturus esset, qui crucis mortificationem in corde, & in corpore suo euidenter gestaturi essent. Tali igitur visione gloriosus Domini Pontifex lætificatus, iussit sibi afferri lignum, vnde signum ipsius viuificæ Crucis effigiare posset. Sed cùm minister non inueniret, à rustico quodam in eodem loco terram arante partem stimuli pretio comparauit. De qua vexillum Crucis figurauit, & cespite congesto desuper illud composuit, Sanctorúmque reliquias ibidem colligauit. Quo facto, iter quod cœperat prosecutus est; ipsóque itinere perductus est ad prædium, quod vocatur* Clippiacus, *in quo finem vitæ præsentis accepit, & ad aulam regni cœlestis translatus, vitam æternam est adeptus. Locus autem suprascriptus multis miraculis resplendebat, ita vt aduentantium illuc miserorum multitudo pristinæ sanitati restitueretur. Quin etiam continuis noctibus nubes splendidissima super ipsum locum videbatur, pertingens à cœlo vsque ad terram. Vicinis ergo in circuitu commanentibus tantæ rei nouitate stupefactis, quidam eorum casulam horrei sui super pignora Sanctorum, quæ præfati sumus, stabilire curauit. Hunc denique locum vir Dei* Leufredus, *post aliquot annos decessionis* S. Audoëni *Archiepiscopi inuisere tentauit: visóque loco, amœnitate eius (eo quòd esset aquarum nemorúmque, & vinearum fertilitate iucundus) miraculorum quoque prodigiis, quæ ibi fiebant, plurimùm lætificatus, domum sacram Domino Deo construere accelerauit in honorem S. viuificæ Crucis, & SS. Apostolorum, ac præcipui Confessoris Christi* Audoëni *Pontificis. Atque in eo loco altare statuit, vbi crux semitarum apparuerat. Sed & post modicum tempus congruentibus habitaculis eandem cellulam cinxit, atque monachorum conuersatione nobilitauit.*

Levtfridvs.] *Leufredus, P. 46. Leutfredus*, & his agnata, de a.

quo

quo singularia quæ extant Acta, videri possunt. De quo etiam relegi possunt Martyrolog. Roman. Monastic. & Vsuardi Trithemius, Yepes, & alij. Ab eo locus, qui primùm Crux S. Audoëni, demùm Crux S. Leufredi appellata est, nobis *S. Leufroy*, & *la Croix S. Leufroy*. Corpus *Parisios* translatum ad *S. Germani*, quâ de re in Originibus patriis dicendum erit.

*Ib.*b. APVD *Insulam Belcionacam.*] Gallico interpreti *de Belinoc*, sed vereor ne absurdè, fateor ignotam mihi.

Ibid. ACCERSITO DEINDE AVSBERTO, &c.] *Ausberti* Acta separatim dabimus. Abbatem fertur egisse in *Fontanellâ* ab anno tantùm *676*. Quòd si series historiæ, quam pertexit noster, sibi constaret, ad alterum annum non potuit obiisse *Audoënus*, quod tamen affirmat.

P. 47. a. VENIT IN PAGVM *Constantinum*, &c.] In Actis *S. Marculphi* haud multò aliter. Ea describit Surius ad Calend. Maias. Ad rem nostram ex illis hoc facit, quod de illius translatione commemoratur. *Iam multum intercesserat temporis*, (habent illa) *& venerandus* Rothomagensis *Ecclesiæ Pontifex* Audoënus, *diœcesim suam visitans* Constantiam *peruenit. Rogatus autem ab* Vernuino *loci sæpe dicti Abbate, vt eum locum viseret, & corpus beati viri ad locum, quem ipse parauerat transferret, libens assensit. Sublato autem de tumulo sancti viri corpore, consumptis carnibus, visa est sola cutis virtute præpotentis Dei ossibus hærere incorrupta, porrò vultus eius adeò viuidus apparuit, ac si vitali spiritu foueretur. Quod miraculum vt multis innotesceret, triduo detectus permansit. Rogauit autem Abbatem beatissimus* Audoënus, *vt de sancti viri corpore aliquam ipsi partem attribueret. Illo libentissimè annuente, cùm Episcopus* Audoënus *caput auferre deliberaret, chartula cœlitùs in eius manus incidit, quâ hæc continebantur: Cæterorum membrorum Beatissimi* Marculphi *quod voles sumito: caput autem eius nequaquam tangere præsumas. His scriptis sanctissimus Præsul à proposito reuocatus, in loco præparato summa veneratione beatissimi* Marculphi *Confessoris reliquias condidit.* Quod noster pagum *Constantinum* vocat, de regione ipsa quæ *Constantiæ* vrbi adiacet, intelligendum est *le Pays de Coutantin*, vt sæpiùs in aliis Actis, quæ descripsimus. De *Marculpho* autem, qui nonnullis *Baiocensis*, quòd inde oriundus, vid. Martyrolog. Monastic. Trithemium, & alios. Abbatiæ cui præfuit locus *Nantus*, siue *Nanto* est dictus, relege Acta, quorum ab initio meminimus.

VRBEM *Romam caput or-* *P. 50. c.*

bis, &c.] Votum hoc Sanctorum, de quo speciale commentarium designatum habemus.

Ibid. ANNVM *quartum obtinente Adeodato*, &c.] Sedit ille ab an. 669. quartus igitur Pontificij eius annus 673. qui quartus itidem ex huius nostri calculo ante obitum *Audoëni*. Sed hinc non dilucescit vlla ratio conciliandæ difficultatis, quam ex occasione antehac attigimus.

P. 51. a. S. SIDONIVS *genere Scotus*, &c.] Eius meminerunt Hibernica, sed huius tantùm loci authoritate. Luculentior verò eiusdem memoria in Actis *S. Leufredi*, quæ iam antè laudauimus. Ea sic habent: *Audita fama* B. Sidonij *vir Dei* Leufredus Rothomagensem *vrbem protinus aduenit, vbi prædictus homo Dei* Sidonius Hibernia Britanniæ *Insula oriundus virtutum splendore venerabilis habebatur. Postquam autem venerabilis vir Dei* Leufredus *vera esse comprobauit, quæ ad eum fama detulerat, homini Dei arctiùs se coniunxit, & per ordinem voluntatis suæ patefecit arcanum. Satisque ab eo regulari tramite, ac monastica conuersatione edoctus, & habitu corporis immutatus, accepit signum capitis, quo milites Christi à populari cœtu discernuntur, & sub ipso patre voto se ipse constrinxit*, &c. Et paulò pòst de *Ansberto Rothomagensi* Episcopo verba faciens: *Hic frequenter egregium virum* Sidonium, *& sanctum* Leufredum *ad familiare colloquium inuitans*, &c. Atque mox, *Factum est interea, vt hortatu Præsulis, & beati* Sidonij *ad natale solum vir Domini* (Leufredus) *reuerteretur*. In Nomenclatore Sacerdotiorum diœcesis Rothomagensis sub censu Decanatus *Longa-villa*, *Sansidonium* ad collationem Abbatis *S. Vuandregisili* reperio, quod monasterium feminarum esse indicat mentio Priorissæ *S. Sidonij*, quam in eodem Nomenclatore legere est.

IAM REGNANTE THEODORICO, &c.] Ab anno nimirùm 667. Sed de Priuilegio, seu *Ecclesia Rothomagensi*, seu *Audoëno* ipsi à Rege concesso, nihil præterea mihi constat. P. 53. b.

ERAT TVM IN EIVS *quem diximus Regis palatio*, &c.] Appendix de Maioribus-domûs ad Chronicon Fredegarij rem in h. m. enarrat: *Defuncto* Ebroino, Theodoricus *Rex* Vvaratonem *maiorem-domûs instituit. Erat autem eidem* Vvaratoni *filius lubricus, & callidissimus nimis, nomine* Gislimarus, *qui potestatis cupiditate captus patrem ab honore deposuit, & ipse improbus potestatem arripuit. Inter quem & inuictum Principem* Pipinum *dissensiones plurimæ extiterunt, quas digna mors* Gislimari *maturè terminauit*. Sed expressiùs, & accommodatiùs ad auctorem no- Ib. c.

strum Gesta Francorum, quæ vocant epitomata cap. 47. *Franci consilio accepto* Vuaratonem *virum inlustrem in loco* Ebroini *cum iussione Regis maiorem domum Palatio constituunt. Accepit itaque* Vuarato *inter hæc obsides à* Pipino, *& pacem cum eo iniit. Erat in illo tempore memorato* Vuaratoni *filius efficax, industriúsque, fero animo, & acerbis moribus, insidiator patris sui, eúmque ab honore generositatis supplantans, erátque nomen eius* Ghisamarus. *Cui beatus* Audoënus *Episcopus prohibuit, ne hanc nequitiam contra patrem suum inferret. Quod ille audire contempsit, fuerúntque inter ipsum* Ghisamarum, *&* Pipinum *bella ciuilia, & multa discordia, qui ob iniurias patris, vel alia peccata crudelia à Deo percussus, iniquissimum spiritum exhalauit, iuxta quod sanctus* Audoënus *ei predixerat, illóque defuncto* Vuarato *iterùm honorem pristinum functus est.* Hæc eadem Aimonio attexta in quibusdam editionibus reperiuntur. Vide Sigebertum ad an. 689. itémque alios Chronographos.

P. 54. b. Orta avtem discordia inter Francos et Avstrasios, &c.] Non alia puto, quàm quæ inter *Bertharium* Maiorem-domûs, & *Pipinum* à morte *Vuaratonis* exarsit, de quâ Gesta Francorum cap. 48. & ampliatus Aimonius lib. 4. cap. 47. Sic enim ibi de pace compositâ: *Post hæc* Pipinus *sub* Theodorico *Rege cœpit esse princeps regiminis, ac Maior-domûs. Iam enim inter se fœdus pepigerant.* Hoc, inquam, fœdus, vt apparet, *Audoëno* interuentore conciliatum est. Nam qui funus eius præoccupant, præter temporis rationem id affirmare videntur, vt ampliùs dicemus.

Inde ad Palativm venienѕ, &c.] Si causâ nuncij de pace afferendi *Audoënus* in aulam venit, eóque temporis articulo mortem oppetiit, quod series narrationis, & hæc verba præferunt, non video cuius alterius pacis conciliandæ autor esse potuerit, quàm eius de quâ modò dicebamus. Sin verò aliâ de causâ Regem conuenit, quod Autor vitæ *S. Leufredi* subindicat in eâ narratione, quam suprà exscripsimus, fieri potest vt conciliati cum *Pipino Vuaratonis*, quod & ipsum anteà memorauimus, negotium egerit. P. 55. a.

Anno igitvr decimo sexto Regni Theodorici, &c.] Vetera exemplaria legunt *sexto*, quibus nihilo magis ad rem accedunt, qui corrigunt *decimo sexto*, ad nostri calculum *decimo* legendum est. Theodoricus enim regnare cœpit an. 667. ac proinde annus regni eius sextus fuit 673. decimus sextus 683. decimus 677. quem Ibid.

morti *Audoëni* noster assignat, de quo tamen maturiùs deliberandum erit.

Ibid. ET CROTILDIS REGINÆ, &c.] Gesta Francorum quæ suprà, de *Clodoueo* tertio *Theodorici* filio: *Clodoueus filius eius puer regalem sedem suscepit ex Regina nomine* Rotilde *progenitus.* Apud Aimonium Breulij: *ex Regina nomine* Clodoilde.

Ib.b. VVARATONE SVBREGVLO.] Rectè quidem si calculus sibi suus constat, sin minùs nihil obest, quin *Vuaratoni* superuixerit. Quòd subregulum *Vuaratonem* appellat, non caret exemplo. Gregorius III. non semel inscriptis ad *Carolum Martellum* epistolis: *Carolo subregulo.* Videsis Sirmondum tom. I. Conciliorum Galliæ. Fauet ratio, quam ignorare non possunt, qui Maiorum-domûs potestatem, & dignitatem sciunt æstimare.

Ibid. APVD VILLAM CLIPPIACVM.] In antiquis monumentis, villa regalis, palatium, &c. Et quidem eo secessu delectati olim sunt Reges nostri, & sua illic placita sæpiùs habuerunt. Sita verò est ad *Sequanam* inter fanum Dionysij, & Lutetiam Parisiorum. Ex hac hodie reliqui sunt duo pagi, pars quæ à frequentiâ colebatur ab *Audoëno* nostro dicitur *S. Ouïn*, pars in qua palatium, & Regis prætorium fuit, antiquum nomen retinet, & nobis est *Clichy.*

ABBATEM AVSBERTVM.] Cuius mox Acta ex integro describemus, quem, vt hoc obiter interseram, ad ann. 694. Abbatem præfuisse Tabulæ Fontanellenses significant. Ib.c.

REXIT AVTEM ROTHOMAGENSEM ECCLESIAM ANN. 43. &c.] Hi si addantur an. 635. quo dicitur in Episcopum ordinatus, efficient an. 678. si verò etiam computentur menses & dies, qui excurrunt, efficient an. 679. Ita vacillat huius nostri calculus, vt ne sibi quidem constet. Sin verò statuamus ordinationis *Audoëni* an. 646. quod probabilius est, quadraginta illi anni, & quod supra est additione sua dabunt ann. Christi 689. vel 690. quem in ann. Sigebertus Audoëni obitum confert. Sed huic calculo multipliciter repugnant Acta *Ausberti*, si tamen ipsa sincera, & fidei faciendæ idonea sunt, vt quibus *Fontanellenses* Tabulæ, quas diximus, aduersentur. Ibid.

NONAGENARIVS *migrauit*, &c.] Quod vt ita sit ex Sigeberti computatione, ac posteriori nostrâ natus erit *Audoënus* an. 600. vicesimus autem *Clotharij II.* in 604. incidit, adeóque annos quatuor natus fuisse videri posset *Audoënus* noster, cùm benedicendus *Columbano* oblatus est, quod quadrat quam optimè cum iis, quæ ea de re ab initio dicebamus. P. 56. a.

Ibid. DIE DOMINICO.] Neque hinc vlla temporis constituendi ratio apparet. Vt enim diesis esset Dominicus, debuit esse anni 682. aut certè 693. In alterum hunc *Audoëni* transitum prorogare si liceret, in quo fauent nobis *Fontanellenses* Tabulæ, iam modus aliquis subesset conciliandi temporis, quo *S. Martinus* Papa sedit, & habita est Synodus *Romana*, cum tempore ordinationis *Audoëni*, quæ nos difficultas iam antè perplexos, & anxios habuit. Sed obstare quamplura videntur, ob quæ insolubilem nobis nodum fateri necesse est.

P. 57. c. AD PONTEM ISARÆ, &c.] E Veteribus nemo non ferè *Isaram* vocat, quam nos *Æsiam*, cùm *Isara* tamen tam longè ab *Æsia* seiunctus sit. Qua de re Massonus in descriptione Galliæ per flumina. *Pontis-Æsia*, nobis *Pontoise*, municipium notius, quàm vt facem illi accendere debeamus.

P. 58. b. IN B. PETRI BASILICA.] Ea nunc *S. Audoëni*, cuius mirabilis structura, hodiéque dubium relinquit, si alia per Galliam splendidior, & elegantior. Monasterium est totâ quidem Europâ celeberrimum, sed patroni sui sanctitate magis æstimandũ.

Ibid. A PRIMO CLOTHARIO.] *Clodouei* etiam I. filio, ad quem integra monarchia defunctis fratribus peruenit. Regnauit ab an. 511. ad 562. de quō relegendi qui de rebus Francorum scripserunt.

FLAVIO EPISCOPO.] *Ibid.* Is XVI. in Tabulis Rothomagensis Ecclesiæ, & successor quidem *S. Gildardi*, cuius in *Romano* meminimus, decessor verò *S. Prætextati* martyris.

HALDETRVDIS ET BERTETRVDIS.] *Ib. c.* Aliis *Bertrudis*, & *Gertrudis*, sed de *Clotharij* vxoribus Gregorius Turon. l. 4. c. 3. & alij rerum Francicarum Scriptores.

DAGOBERTVS FILIVS SIGEBERTI.] *Ibid.* Francorum Austrasiorum Reges. Sed *Dagobertus Grimoaldi* factione regno pulsus, & attonsus, & in *Scotiam* transmissus, quod non impune fuit *Grimoaldo*. Sigebertus ad an. 657. 658. aliique plures. Videri potest Hareus in Annalibus Brabantinis.

CHILDERICVS FRATER *Ibid.* THEODORICI, &c.] *Clotarij* III. F. qui cum vxore *Bilhilde*, siue *Blitilde* ob cæsum *Bodilonem* ab *Amalberto* & *Vigoberto* confossus est. Gesta Francorum c. 45. Aimonius Breulij l. 4. c. 44. itémque alij plures.

VITAM ET ACTVS *beatissimi* *P. 59. a.* *Eligij*, &c.] Non hæc tantùm scripsit Audoënus noster, sed carmen de *SS. Medardo*, & *Gildardo*, quod antè laudauimus in Romano. Quin & vita *S. Remigij*, quæ extat in Biblio-

theca S. Galli eiusdem *Andoëni* nomen præfert. Vossius de Historicis Latinis. Qui & ipse Audoënum nostrum esse censet, cui Vita *S. Aquilini* Ebroïcensis Episcopi, quæ apud Surium ad XIX. Octobr. inscripta est.

Ib.b. VITAS QVOQVE *Venerabilium Abbatum*, &c.] Nunc succurrit *S. Philiberti* Vita, qui ex Abbate *Resbacensi* fundator fuit *Gemmeticensis* famosissimi Cœnobij, *Audoëno* adiutore. Extat quidem apud Surium XX. Aug. sed præstat etiam Vincentium Bellouacensem pariter relegere.

Ib.c. ANNIS TRIBVS *& mensibus nouem*, &c.] Nihil nos iuuat hæc temporis designatio. Si enim, vt habet, Ascensio ad diem V. Maij eo anno occurrit, Pascha etiam incidit in XXVII. Martij. At anno post 677. quarto, qui proinde fuit 681. Pascha fuit XIV. Aprilis, Ascensio retrocessit in XXIII. Maij. Sed frustrà hæc pluribus exigimus.

P. 60. c IN IERVSALEM PERFERRETVR, &c.] Dubium, an *Ierusalem* in Palæstina, an *Resbacense* monasterium, quod *Ierusalem* appellauit *Audoënus*, debeamus accipere. Cæterùm de hac translationis celebritate *Ansberti* Acta etiam copiosè meminerunt, quæ præstat relegere.

P. 62. a. FREDEGODVS.] De *Fredegodo* placet mihi iudicium Vossij, quod propterea non grauabor ascribere. *Sub* (Anglorum) *Rege* Edgaro, *claruit* Fridegodus *Diaconus*, Anglus, *monachus* Benedictinus, *vir græcè doctus, vt de eo Guillelmus Malmesburiensis testatur. Hic carmine complexus fuit Vitas* S. Vvilfridi, *&* Audoëni *monachi :* (lapsus hic Vossius!) *idque postulato fecit* Odonis Cantuariensis, (autoris scilicet Vitæ *S. Vvilfridi*, cui & cognomen Seuerus) *de quo proximè dictum. Nam cùm is an. 956. horum duorum corpora* Cantuariam *transtulisset* ; *à* Fridegodo *petiit, vt aliquid de vtriusque laudibus commentaretur. Vitam* Audoëni *Surius inseruit Historiæ SS. tom. 4. die XXIV. Aug. Eáque illi videtur illa ipsa, quam reliquerat* Fridegodus. *Surium in epitome suâ sequitur Hareus. Sed obstat huic sententiæ, quod* Fridegodus *carmine* Audoëni *vitam tradidit: illa quæ apud Surium prosâ est exarata. Nec hîc fit, quod facere* Fridegodus *solet, vt Græca passim admisceantur Latinis.* Addo insuper nullam hîc de translatione *Audoëni Cantuariam*, mentionem fieri, cuius tamen potissimùm causâ, hoc opus *Fridegodus* susceperit. Enimverò id vnde acceperit ipse Vossius, & cur *Audoëni*, atque *Vuilfridi* translationem coniunxerit, certus esse non possum. Malmesburiensis certè, quem autorem laudat, de vnâ *S. Vuil-*

fridi tranſlatione meminit, ac penè perſuaſus ſum *Audoeni* tranſlationem in *Angliam* eſſe commentitiam. Tantum enim abeſt, vt *Cantuariam* tranſportatum legamus, vt in *Franciam* abductum à primis Regibus ſtirpis *Carolinæ*, tandem verò *Rollone* primo *Normannorum* Duce expoſcente *Rothomagenſibus* eſſe redditum, fidem faciant Cœnobij *S. Audoëni* MSS. Codices, ex quibus rem narrat Molinæus in Hiſtoriâ Normanniæ. Reliqua quæ Voſſius affirmat, ſatis ſe mihi approbant, vt quæ Guillelmi Malmeſburienſis iudicio, & fide nitantur.





S. CVNIBERTVS COLONIENSIS EPISCOPVS,

SVB EODEM DAGOBERTO, & piiſſimo filio SIGEBERTO.

A GLORIOSAM *S. Cuniberti* memoriam piis venerari affectibus, & magnis frequenter extollere laudibus, cùm decentiſſimum, tùm ſaluberrimum eſſe, nemo ferè qui neſciat. De luminaribus illis maximis erat, quæ ſuper candelabrum poſita per totam mundi latitudinem circumferebant ignem, quem ipſa veritas, & lux mundi *Chriſtus Ieſus* in terram mittere venerat. Hic adhuc puer ſiniſtrum ramum *Pythagoricæ* litteræ priùs omninò per animi virtutem ſatagebat effugere, quàm ad eiuſ-

dem

dem biuium per ætatem corporis posset ascendere. Nam dum pater eius, *Crallo* nomine, clarus prouinciæ *Mosellensis* indigena, puerum elegantem, etiam in primis infantiæ rudimentis aptum virtutibus *Dagoberto* Magno *Francorum* Regi nutriendum, simul & prouehendum illectus familiaritate regiâ commendasset, ipse mirum in modum non tantùm ab illicitis omnibus (vt id ætatis puero natura præualuit) verumetiam multoties à licitis quibuslibet vitam liberam, & quasi solitariam duxit, imitatus videlicet maternæ pietatis ingenium, quod ab ipsis cunabulis simul cum infantiæ lacte sedulò potare consueuerat. Hæc igitur Omnipotentis Dei famula, nomine *Regina*, sic maritali deseruiebat arbitrio, vt se tamen corde fidelissimo totam Christi mancipares imperio. Hoc itaque modo *Beati Cuniberti* mater fixum in amore Dei animum supernis adhærere desideriis fecit, & edocta per spiritum æquo iustitiæ libramine sua cuique dedit, mundo vtique satisfaciens per necessariam dispensationem, creatori suo placens per promptissimam cordis deuotionem: pignus tamen sibi dulcissimum magis deputat Ecclesiasticæ religionis officio, quàm terreni Regis obsequio. De cuius vita, & studio non est opus interim plura reuoluere. Quid enim egerit, quóve studio erga cultum Dei desudauerit, testa-

L

A tur populus ciuium *Mosellensium*, qui & corpus eius venerabiliter in Ecclesia conditum seruat, eiusdémque patrocinia semper expetendo, & sæpè promerendo frequentat. Puer autem Deo deditus in regali palatio scholæ virtutum inuigilabat, & subiectus Regi quasi præcellenti, Dominum timebat, Regem honorificabat, ac se spontanea necessitate constringens, vt quò difficiliùs laborandum esse videret in deputato sibi opere, eò delectabiliùs, & efficaciùs illud
B præ cæteris suis coæmulis festinaret arripere. Lux enim in illo diuinæ pietatis emicuit, & velut aduocatum, atque statutum in medio paruulum, Euangelicum exemplum, imò delectabile spectaculum omnibus dedit. Erat namque mansuetus, & patiens, ac in omni honestate, vtilitate, & probitate docilis, gloriâ quidem, non tamen inani & ventosâ, excitatus ad obedientiæ studia. Nam & magistra, & gubernatrix
C hoc intus egit gratia, vt foris in edocendo ad imposita ministeria puero non laboraret præceptoris instantia: iámque capacissimum inhabitantis Dei vasculum plus etiam sibi studio humilitatis assumebat, quàm vel magisterio, vel exemplo didicerat. Namque non contentus Regi solummodò, & maioribus, iuxta personæ suæ congruentiam, deseruire, in tantam sæpè vilitatem semetipsum detrudere conabatur, vt

etiam ſeruorum vice calceamenta detrahere ſo- A
leret, atque mundare: duplâ nimirùm ſimplicitate Deo acceptabilis, cui illum & puerilis ætatis puritas, & virilis ingenij voluntaria pietas commendabat. Cùm ergo ab hoc primo exercitij gradu vellet illum Dominus ad altiora virtutum incrementa conſcendere, reuelare dignatus eſt Regi, quanti apud ipſum meriti puerilis illa ſimplicitas haberetur. Quadam denique no-
ćte dum peruigil Rex in lecto quieſceret, vidit B
ſubitò locum illum, vbi ſanctus puer ſoporis gratiâ membra feſſa compoſuit, magnifico lumine reſplendere, eodémque penè ſigno futura pueri facta notari, quo Saulum contigit de cœlo vocari. Mane itaque facto Rex de viſione ſollicitus, & miraculi nouitate perterritus requiſiuit, quis in eodem loco, vbi ſplendorem deſuper viderat radiantem, per noctis ſilentia
quieuiſſet. Intellexit enim, quòd tale præſagium C
magnum aliquid portendiſſet. Cui cùm apparitores ſuggererent *Cunibertum* ibi puerum dormiuiſſe, quod & ipſum priùs ipſius diligenter intendentem induſtriam non latebat, apprehenſum eum illicò de turbâ ſeorſum, ſed coram cunctis qui aderant, ſolito familiariùs allocutus eſt, & adoptatum ſibi in filij locum amplexu dulciſſimo exôſculatus eſt, pronuncians, quòd verè Deus in illo fuerit, quem tantâ lumi-

A nis manifeſtatione clarificare dignatus ſit. Erat enim ipſe quoque religionis amator, fide Catholicus, & ad omne opus bonum in Chriſti dilectione paratus, quod dum mundus voluitur apud Eccleſias Regni Francorum celebri procul dubio ſermone feretur. Exin proceſſu temporis *Beatus Cunibertus* apprimè litteris eruditus, aſcenſiones primùm in corde diſpoſitas profectu quotidiano cucurrit. Mox Eccleſiaſticos per ordi-
B nem aſcendendo gradus, coactus quidem renitente vi humilitatis, digniſſimus tamen obtinuit, quos & excellentibus illuſtrauit meritis, & congruentibus adornare curauit obſequiis. Itaque auctus benedictione cœleſti de virtute in virtutem feruidus in dilectione Domini properabat, donec raptus ab Archiepiſcopo *Treuirorum*, Archidiaconatus officio ſublimatus eſt. Vbi mirum in modum totus in Dei opere con-
C uerſatus, nihil ſibi exhauſti ſatis eſſe credebat, vitæque iam huius exoſus, his tantùm quos lucrifacere conabatur exceptis, ſpiritum inuictum à quolibet ſeruabat. Paucis poſtmodùm elapſis annorum curriculis Clerus, & populus *Agrippinæ Coloniæ* paſtore proprio deſtitutus, virum Domini *Cunibertum*, iam in opere Dei exercitatum, vt ſibi præeſſe deberet, cùm vocibus, tum precibus implorauit. Nec difficilis erat iſta congeſtio de eo, qui præſagiebatur, quem &

Rex olim anxiâ expectatione promouere quærebat, & omnis tripartitæ *Galliæ* populus dignissimum, & verè plebi Dei necessarium prædicabat. Sola in eo repugnauit humilitas, cuius tamen ad hoc opus prædestinata simul, & approbata fuit à Domino sanctitas. Tandem conuenientibus in vnum plebis destitutæ maioribus, maximóque sacerdotum, & aliorum principum cœtu ad eorum auxilium animis, opibúsque parato fortissimum viri Dei pectus charitati tantùm cedere solitum à propositi sui duritia emollitum est. Sicque nutu Dei *Remedio* Episcopo *Coloniæ* successor electus, septimo Calendas Octobris gradum Episcopalis benedictionis ascendit. Deinde iam se talem, tantúmque cunctis exhibuit, vt nostra hoc facultas nequaquam possit euoluere, ne videamur maxima verbis vilioribus extenuare. Verumtamen omnibus placet referre miraculum, quod in maximo sacerdotalis officij sacramento Dominus, quasi speciale perfectionis eius indicium dare dignatus est: ex quo vitæ vel doctrinæ ipsius insignia non modò cognosci, sed & lucidissimè possunt agnosci, quamuis sint alia, quæ non tam perspicaciter intendentibus videri possunt maiora. Quadam die dum singulare Redemptionis nostræ mysterium, & solum infirmitatis nostræ remedium plenus Deo super mensam Dominicam, in Basilicâ Sancta-

A B C

A rum Virginum immolaret, adſtans Clerus, & populus vidit columbam ſplendidiſſimam primùm hac & illac per omnem Eccleſiam circumvolitando vagari, deinde Pontificis inſidere capiti, mox deinde reuerſam, & iuxta tumulum cuiuſdam Virginis, ſtupentibus ſimul & mirantibus vniuerſis qui aderant, ab oculis omnium elapſam. Acclamatum eſt confeſtim ab omnibus, verè dignum hunc eſſe, qui miniſtraret Do-
B mino ſacerdotem, felicem fore Eccleſiæ paſtorem. Hinc ergo gemitus, illinc gaudia perſonabant: vtrorumque enim materiam in ſigno quod videbatur, habebant. Lætabantur quidem ſe habere tanti meriti Pontificem, qui dignus eſſet edoceri, & cuſtodiri per piiſſimam Domini ſui viſitationem: flebant verò propter humani caſus incertitudinem, hanc ipſam metuebant ſe citiùs amiſſuros eſſe conſolationem, vel potiùs
C quòd dignam ipſius religioſitati non admitterent imitationem. Comparentur nunc hæc duo ſi placet, quæ propoſuimus miracula, vnum in pueritia, alterum in Epiſcopali perfectione monſtratum, ſi fortè in his poſſit intelligi, laudabilis, & verè mirabilis eſſe vita ſanctiſſimi *Cuniberti.* Hæc ergo glorificatio cùm ſemper huius ſancti Pontificis bona opera ſubſecuta eſt, tum maximè quando omnis plebs quæ vidit, dedit laudem Deo, nec ipſum Antiſtitem in Domino

poſtea laudare trepidauit, velut per hoc prodi- A
gium iam fuiſſet ſecura illius interminationis, qua dicitur, Ne laudes hominem in vitâ ſuâ. Ipſe autem in omnibus his clauſo ſtudio, ne quid humanæ laudi concederetur, intra cubiculum cordis ſui laudabat, & glorificabat eum, à quo bona cuncta profluere nouerat. Sic igitur eſuriens & ſitiens iuſtitiam factus eſt pacificus, & in omnibus cordis ſui motibus rationi ſubiectus, vt ſpiritu tantùm Deo ſeruiret, & portionem ſuam in terra viuentium totis niſibus appetere feſtinaret. Completiſque demum feliciter quadragin- B
ta villicationis ſuæ annis pridie Iduum Nouembris perueniens ad diem huius lucis extremum creatori ſuo ditandum bonis omnibus reddidit ſpiritum. Corpus autem eius, ſicut ipſe viuens præceperat, poſitum eſt cum magnâ gloriâ in Eccleſiâ *Sancti Clementis*, quam ipſe conſtruxerat, regnante D. N. Ieſu-Chriſto, qui viuit, & gloriatur in ſempiterna ſeculorum ſecula. Amen. *Ex antiquis exemplaribus apud* SVRIVM *ad diem* XII. *menſ. Nouembr. nonnulla reſecuimus.*

NOTÆ.

P. 80. a. S. CVNIBERTI, &c.] *Cunibertus*, qui & *Cumbertus*, quorum vtrumque in diplomatibus *Dagoberti* apud Roſerium legitur. *Cunebertus* in Concilio Remenſ. an. 630. Apud Flodoar-

dum tamen *Chunnebertus*, & apud Baldricum *Chunebertus* legitur. Ita & apud Sigebertum ad an. 627. *Hunibertus*, & *Vnibertus* apud Fredegarium Scholasticum, sed frequentiùs apud alios *Cunibertus*, quod consilio promptum, & audacem in consilio, ac iudicio, ex origine interpretantur. Huius nominis Rex apud Longobardos ad an. 693.

Ibid. PYTHAGORICÆ *litteræ.*] Notæ de biuio Herculis fabula, & mythologia, ad quam hîc alludit.

P. 81. a. CRALLO *nomine.*] Eiusdem nominis S. Galli Abbatem apud Reginonem obseruo ad an. 958.

Ibid. DAGOBERTO *Magno*, &c.] *Cunibertus* apud *Dagobertum* puer honorarius, eò tandem euasit, vt præcipuus consiliorum administer, & sacris scriniis præfectus esset. Quare cùm *Sigebertum* suum ex pellice filium, adhuc superstes *Austrasiæ* Regem constituisset, eum fidei, ac tutelæ, vt ita dicam, *Cuniberti* commisit, qui res eius ita curauit, vt *Dagoberto* mortuo partem thesaurorum, quæ Sigeberto obtingebat, à *Clodouæo* II. repetierit, atque receperit. Quibus de rebus nulli non rerum nostrarum Scriptores meminerunt. Quin igitur Cancellarium *Dagoberti*, atque *Sigeberti*, verùm & *Clodouæi* egerit, vix est vt dubitem. Nam præter diplomata, quæ recognouit, eiúsque rei fidem faciunt quàm certissimam; Scriptores nostri etiam recentiores id vltrò affirmant.

NOMINE REGINA, &c.] *Cuniberti* nostri matrem pro Sancta coli non obscurè hic noster prædicat. Quod vt pro certo ex eius autoritate habeam, non possum tamen ampliùs dignoscere. *Dononij* quidem prope *Valencenas* celebris est memoria *S. Reginæ* viduæ, sed *Pipini* Regis neptis illa est, & mater *S. Rainfredis* Virg. de qua Molanus ad Cal. Iul. & diem XVII. mens. Martij, & tam longè alia, quàm Cuniberti mater. *Ib. b.*

AB ARCHIEPISCOPO TREVIRORVM, &c.] *S. Gangerico* vt videtur, sed in re obscurâ nihil temerè affirmandum. *P. 84. b.*

S. REMEDIO, &c.] Baronius in notis ad martyrolog. die XII. Nouembr. *Cuniberti* electionem assignat anno 653. ex Demochare, sed Demochares in eum ann. *S. Theodardi Traiectensis* Episcopi consecrationem, quam *Cunibertus* perfecit, refert. *P. 85. b.*

IN BASILICA *Sanctarum Virginum.*] Vndecim millium, quæ cum Vrsulâ duce pro Christo, religionis, & virginitatis constantia interfectæ martyrio vitam consummarunt. Celebris hæc in vrbe Ecclesia, & valdè antiqua, cuius laudes plerique frequentarunt. *P. 86. a.*

QVADRAGINTA *villicationis suæ*, &c.] Ex hoc calculo *P. 87. b.*


culo, & Baroniano qui suprà, *Cunibertus* ad an. 693. superuixerit, ac *Childeberto* II. al. III. demùm Rege mortem obierit, cùm tamen ab an. 632. Dagoberti Cancellarius fuisse reperiatur. Deinde *Bocaldus* successor an. 655. iam sedisse legitur.

Ibid. In Ecclesia *S. Clementis,* &c.] Nunc *S. Cuniberti,* quæ sita in extrema vrbis parte, quâ *Rheno* præterfluenti obtenditur versùs Septentrionem in ichnographiâ, quam Georgius Brunus exhibet l. 1. Tab. xxxviii. De incendio per miraculum restincto ad præsentiam corporis *S. Cuniberti* ab hac Ecclesiâ suâ elati sub. an. Chr. 1080. *Sigeuuini* Archiepis. an. 1. vide Surium ad calcem Vitæ eiusdem *S. Cuniberti.*

Die xii. *mens.* &c.] Martyrolog. Rom. Alia die x. Virdun. Ecclesia eius memoriam ad xii. etiam colit anniuersario officio. *Cunibertum* qui Archiepiscopum inscribunt, vel ob eam causam, quam de *Godegrando* dicimus, faciunt, vel certè falluntur. Colonia enim an. tantùm 745. in metropolim est erecta per Zachariam Papam, adeóque primus eo est nomine institutus *Rangefridus*, qui ab initio Sedis xvi. numeratur. *Ibid.*



M



S. BONITVS ARVERNENSIS EPISCOPVS,

ſub ſanctiſſimo Rege SIGEBERTO, filio eius DAGOBERTO, & pronepote CHILDERICO.

A VENERABILIS vir *Bonitus*, futurus ſeculo bonitatis exemplar, ex equeſtri linea ducens originem, capitaneam totius *Aruerniæ Claromontenſis*, ortûs ſui priuilegio decorauit. Patre *Theodato*, matre *Syagriâ* genitus, ſanguinis ſplendore *Galliam* Senatoriæ dignitatis proſapiâ colorauit. Impleto partus tempore natus puer, operante in eo Spiritu, cuius vas erat, ætate & gratiâ mirabiliter adoleuit. Lucebat in illo natalium claritas, & ſplendor morum, ſed meliùs moratus quàm nobilis, lucem generis mo-

rigenatâ prudentiâ venuſtabat. Præformabat A
iam in pectore pueri, Dei digitus opus ſuum, &
in tabulâ mentis illius, amoris ſui lineamenta
pingebat. Traditur à parentibus ſcholis Grammaticæ liberalibus ſtudiis imbuendus, vt informis & nuda per ſe ſcientia naturalis colore eloquentiæ veſtiretur. Addit ad cumulum perfectionis notitiam iuris & legum, vt eloquens ratio, & literata prudentia ciuilis perita iudicij,
propugnandæ iuſtitiæ ſubſeruiret. Tanta illi e- B
rat ingenij naturaliter inſita facultas, vt coætaneos ſuos præiret ſcientiâ, quos fuerat ſuperaturus, & vitâ; ac præcederet lectione, quos anteiret poſtmodùm dignitate. Pueritiæ terminos iam *Bonitus* euaſerat, & in florem ætatis erumpens annos attigerat pubeſcentes, cùm pater ſuus *Theodatus* viam vniuerſæ carnis ingreſſus conditionale tributum ineuitabili mortis neceſſitate
perſoluit. *Bonitus* iam adoleſcens, ſe Deo ſem- C
per ad meliora ſeruante, *Sigeberti* Regis adiit præſentiam, conſpectum ſubiit, profitetur obſequium, ſumens ab eodem in regali palatio miniſterium Pincernatus. Placuit omnibus, & Regi præcipuè, liberalitas iuuenis, & ad omne ſeruitium prompta deuotio. Creuit in illum Principis amor, creuit & gratia, atque in pignus benignitatis, & arrham, ſumpto annulo aureo de manu Regis, Referendarij locum adeptus eſt. In

A quo gradu ita palatinis omnibus fuit ad gratiam, vt animos omnium ſibi concilians gratioſus fieret vniuerſis. Prudenti, & humili diligentiâ Regiæ domus officia diſponebat, domeſticâ tranquillitate reſponſi, & affectus augebat amantium, & æmulantium frangebat duritiem. Regem *Sigebertum* contigerat obiiſſe mortem, cui pronepos ſuus *Theodoricus* hæreditaria poſteritate ſuccedens Imperij ſceptro ſublato recepit *Gallias* gu-
B bernandas, in cuius oculis gratiam *Bonitus* inueniens, ne otio torperet in iuuene opportunitas actionum, præfectus *Maſſiliæ* primæ prouinciæ Regis beneficio deſtinatur. Digreſſus à Rege venit *Maſſiliam*, vbi ſufficienter exornans dulcedine animi Sacerdotis vicem, ex conſtanti iuſtitiâ locum Iudicis occupabat. Erat ei mira pietas erga miſeros, circa exules pia compaſſio. Eos quos reperit captiuatos munifica largitate rede-
C mit. Ne quiſquam deinceps, aut venderetur ad pretium, aut exilio damnaretur, Prætoris denunciauit edicto. Continuatis vigiliis ſe affligens, ieiunij ſobrietate ſe macerans Sacerdotis potiùs in ſe formam, quàm Potentis imaginem exprimebat. Inerat adoleſcenti proceritas elegantior in ſtatura, decentior aptitudo membrorum in habitu. Sic vtrumque debito fuerat cultu diſpoſitum, nihil vt illi de pulchritudine corporis minueret inſufficiens plenitudo. Quibus duobus

expectandis in carne, alia duo quædam spiritus A
germina succedebant, tranquilla simplicitas, &
sincera munditics, miræ conuenientiæ in iuuene,
consueta carnem ad spiritum temperatura partium condiebat. Lenis ei sermo, sed efficax, & in asserenda veritate constantior: indifferens omninò studium erat ei tam sustinendi patienter iniurias discordantium, quàm discordes ad vnitatem concordiæ reuocandi. Iis artibus instituerat semetipsum, vitam exercitiis honestabat, vt cui B
necdum fuerat sacerdotij sacra promotio, sacerdotalis vitæ præludia non deessent. Administrante *Bonito Massiliæ* præfecturam, felicis memoriæ *Auitus* Episcopus germanus eius, Pontificatum ornans operibus, virtute complens, *Aruernorum* Ecclesiam paterno moderamine gubernabat, per quindecim ferè annos curam gerens prouinciæ, & singulis vnius assistens veritate doctrinæ, & exempli claritate suum candelabrum C
illustrabat, plenus dierum, & consummationis iam vitæ subito languore decumbens extremo viuendi spiritu anhelabat. Transmiserat stadij spatium brauium gloriæ recepturus, desiderium vnum erat dissolui, & esse cum Christo: verùm *Claromontensis* Ecclesiæ destitutio, & periclitantium desolatio filiorum, festinantes ad cœlum morientis Præsulis morabantur affectus. Vocat in partem consilij Canonicalis sanctimoniæ con-

A cionem, impendentem articulum ſuæ diſſolutionis exponit, dulce ſibi, & iucundum eſſe ſi vel morte mediante coronam iuſtitiæ conſequatur, paterni tamen obitûs gratiâ deeſſe diſciplinæ, diſſipari ouile Eccleſiæ, & oues in diuerſa diſpergi, niſi paſtoris officio fulciantur: nauem eſſe erraticam, & vicinam naufragio, niſi rectoris prouidentiâ dirigatur: currus electiſſimos in præceps ferri, niſi rectè aurigarum mo-
B deramine temperentur: & Eccleſiam ſine rectore non ſtare, ſed ruere, nec erigi ad profectum, ſed labi penitus in ruinam, niſi ante illius obitum prouideatur Eccleſiæ, vaga licentia clericorum diuidetur in partes, & dum ſua quærent, ſchiſmate ſuſcitato deſtruent vnitatem. O pietas viris Apoſtolicis quoque imitanda! Præfert beatus Pontifex commune commodum priuato bono, & naufragantibus filiis pater renuit coro-
C nari. Dixit proficiſci ſe velle ad gloriam, ſed ſecurum; compoſitâ priùs pace Eccleſiæ, filiis quiete prouiſâ, cœli vitam poſſe ſecuriùs apprehendi. Sedit animis omnium prolati conſilij veritas, & datâ in medium de futuri Præſulis electione ſententiâ, imponunt vnanimiter illi hoc onus, & ſicut viuens vnitus omnibus fuerat, ſic quod in communi ſit vtile, prouideat vniuerſis. Quæſitum eſt diligentiùs, & diſcuſſum, quis tanto oneri, vel honori aptus eſſet. Sententia tan-

dem in *Bonito*, vt Pontifex fieret, requieuit, mox A
à Rege precibus impetratâ licentiâ *Bonitus* concorditer electus, generaliter assumptus & consecratus, præfecturam non amittens, sed mutans, de Prætore regni factus est Præfectus cœli, & qui dudum tutor corporum dispensator datus est animarum. Pontificis vnctione susceptâ Sanctus maluit esse, quàm dici, & totus in Pontificem transiens simplicitate cordis, & iustitia corporis operis perfectum exhibuit Præsulatum. B
Cauebat aliquid vel loqui, vel agere, quod à dignitate Pontificis abhorreret, eadem staterâ ponderans verbum & vitam, Episcopum sermone, & opere redolebat, docebat omnes quæ singulis fierent ad salutem, & salutaria potiùs complens quàm loquens, doctrinam suam meliùs vita, quàm voce commendabilem exhibebat. Erat eius actio, vel persona præposita subditis forma viuendi, & simulacrum vocis suæ quotidia- C
nis actibus exprimebat. Honore Pontificij sic vtebatur vt onere, vmbratilem gloriam fugiens magis, quàm appetens, molem officij submissis humeris ambiebat. Ieiuniis & orationibus peruigil, frangens desideria carnis & otia, castigatum corpus præsidenti spiritui submittebat. Eò vsque protenderat rigorem ieiunij, vt biduum, vel triduum duceret sine cibo. Verus panis qui saginauerat mentem eius, non eum sinebat flu-

A xas carnis delicias esurire: suspirantis ad Deum animi lectione pascebat esuriem: amicus silentij & solitudinis cultor, familiarem sibi fecerat priuatæ orationis affectum: congruentem in omnibus modum seruans, nunquam limitem virtutis excessit: corpore terram tenens, animo cœlum inhabitans, humanæ facultatis oblitus virtute super hominem ferebatur. Non potuit latere ciuitas, cuius fastigia præeminebant in cœ-
B lum, lucerna pariter ardens & lucens non est passa radios suæ lucis sub modio contineri. Erupit vir mirabilis ad miracula facienda, vt mirè faceret mirè viuens, & eius authoritas, quæ erat omnibus ad miraculum, signis & mirabilibus non careret. Æstu nimio tellus aruerat, & solis insolita virtute percussa vehementi diriguerat siccitate, calor ebulliens infecerat arua squalentia, & herbarum virorem vel arborum feruoris
C intemperies violenta torruerat: nulla cœlo clementia, nulla prorsus aëri moderata temperies, quæ vel humoris guttam, vel stillam pluuiæ terræ superinfunderet sitienti: *Bonitus* Pontifex motus, vel inuidiâ temporis, vel periculo filiorum, vocatam ad Ecclesiam plebem alloquitur, ostendit iram Domini, cœlorum indignationem prosequitur, & commune discrimen generali censet oratione pellendum, Niniuitarum indicit ieiunia, vt humilitate, & abstinentia propitietur

pitietur diuinitas, quæ per luxum & insolentiam fuerat irritata. E vestigio sublatâ cruce proceditur ad Ecclesiam *B. Laurentii* martyris, peracta processione accedit indutus Pontifex ad altare, Missam celebrat, & inter agendum cœlestem clementiam impetraturus totus ferè eliquatur in lachrymas, tanta quippè redundabat in eo (quoties sacris intererat) gratia lachrymarum, vt summitas amphiboli, quo caput Episcopi tegebatur, suffusa plerumque & madida videretur. Adest oranti propitiata diuinitas, cogitur aër in nubem & serenitate fugata coëuntium nebularum conglobatione densatur: sequuta est ea nocte iam grandis exundatio pluuiarum, vt alia die exeundo de Ecclesiâ aditu intercluso, *Bonitus* quatuor dies in oratione & ieiunio se continuare gauderet. O virtus cœlestibus efferenda præconiis! *Bonitus* ad arbitrium cœlo vtens dum lachrymam exprimit imbrem deduxit, potenti miraculo dum maxillam fletu compluit, pluuiis terram infundit. Ea fuit consequentia lachrymarum & imbrium, vt patens esset, *Boniti* lachrymas tempori vim fecisse & eduxisse cœlo fluentes cumulos pluuiarum. Apparuit duplex miraculum in eodem facto, dum eximio orationis puncto, & aëri serenitatem abstulit, & terræ contulit vbertatem. Vsitatum fuerat beato viro, vt in Ecclesiâ sedens, non in cathedra celsiori, sed in loco hu-

N

A millimo resideret. Sæpè ita abiectè & contemptibiliter se habebat, vt offenderet in illum quilibet intrans Ecclesiam, nec sciret esse Episcopum qui facie non nouisset. Denique vir discretus & humilis certa sibi loca distinxerat, in quibus modò despectus & pauper, modò reuerendus & Pontifex apparebat. In domo orationis, suæ conditionis memoriam, in loco Iudicij, Præsulatus insignia referebat. Cauebat in primo ne superba
B ostentatio professionem paupertatis extingueret: vitabat in altero ne Iudicis dignitatem impersonalis actio violaret. Peregrinorum & pauperum erat vir, dòmi inuitator continuus, susceptor frequentissimus, conuiua lætus; nulla erat apud eum exceptio personarum, sed tantæ charitatis amplitudo vt omnibus vnanimiter seruiens neminem à suæ largitatis gratiâ discedere pateretur immunem. Visitaturus Ecclesias *Bonitus* Præ-
C sul Aruernensem diœcesim circuibat. Peruenit in locum vbi venerabilis presbyter *Bubo* cum suis fratribus Domino seruiens contemptu temporalium mercabatur æterna. Dies Dominicæ Resurrectionis illuxerat, cùm expostulatus à fratribus loci Missarum solemnia celebraturus ad altare procedit, [ex more ad aram manus aqua abluit, quam frater quidam non commoda affectus valetudine *Audemarus* nomine petiit à Leuita *Adelphio* ipsi potandam præberet: qua hausta illicò se

ſenſit priſtinæ redditum incolumitati, ſeditque A
lætus ad menſam cum fratribus. Poſt aliquod tempus Sanctus Epiſcopus virum Dei *Nodobertum* cùm primis excellentem & induſtrium, genere nobilem, ingenio valdè perſpicacem magno omnium fauore ſuâ in cathedrâ repoſuit: atque inde ad *Magnilocenſe* profectus Cœnobium, in Sanctæ religionis habitu, ſicut ſemper optauerat, illic aliquamdiu permanſit. Cúmque Dei Sacerdos aliquantiſper illic demoratus fuiſſet, relictis patria & parentibus rebúſque omnibus per B
monaſteria & Eccleſias diſtributis, *Romam* iter intendit, ſacra Apoſtolorum viſitaturus limina, & pauperem Chriſtum ſectaturus. Poſt quam peregrinationem] *Lugdunum* rediens Deo dignus Antiſtes annis quatuor ſuperuixit, in quo dierum ſpatio totus ſuſpirans ad Dominum, totus animo cœlis intendens, plenus deſiderio & amore cœleſtium, æternæ vitæ gaudia prælibabat. Ita tunc C
temporis fuerat nudus & pauper, vt nihil ei remanſerit quod egenti ad eleemoſynam porrigeret. Quantò pauperior rebus erat, tantò virtutibus magis abundans, impendia ſanitatum & curationum dona copioſius erogabat, munditiei cordis vacans felices ſibi & faciles ad Deum videndum præparabat aſcenſus. Obitus ſui diem reuelante Domino præcognouit. Poſt dies aliquos podagræ dolore conſtrictus lecto decubuit, in-

A grauescente molestiâ ad extrema deductus sumpsit cœleste viaticum, signo Dominico se muniuit, & fenestram cellulæ in qua iacebat faciens aperire, oculos lachrymis madescentes erexit in cœlum, morienti congruum Psalmum incœpit, & carne solutus reddidit spiritum manibus Redemptoris. Sepultus est autem Beatus Pontifex honorificè, communi *Lugdunensium* gaudio, in Ecclesia *B. Petri*, vbi septem ferè & eo amplius annorum spatio requieuit, florens virtutibus, si-
B gnis coruscans; denique corpus eius *Clarummontem* translatum fuit. Ex M. SS. ECCLESIÆ CLAROMONTANÆ *apud Franciscum Haræum nonnullis interiectis.*

NOTÆ.

P. 70. A. VENERABILIS VIR BONITVS] *Bonitus* qui & *Eusebius* nonnullis, nostris est *S. Bon* & *S. Bonet*. Ecclesiam sui nominis habet Parisiis, Biturigis, Molinis, quin & Claromonti vbi Episcopus fuit, quæ vrbs Aruerniæ capitanea, hoc est præcipua & primaria continenter dicitur.

Ibid. ARVERNIÆ CLAROMONTENSIS] Duplex nimirùm *Aruernia*, superior & inferior, montosa & plana, hæc *Limahia* siue *Alimania* propriè dici solet, illa peculiare sibi fecit *Aruerniæ* nomen: huius caput *Clarusmons*, olim *Aruernum*, & cum adiuncto ciuitas *Aruerna*: illius *fanum S. Flori*, quæ vrbs etiam Episcopalis: cùm tamen *Aruerniæ* nomen vtrique sit commune, ad alterius distinctionem, *Claromontensis* vna nuncupatur.

MATRE SYAGRIA] Religiosâ imprimis feminâ, de qua illud memorabile ad Boniti etiam nostri commendationem legitur apud autorem ipsi Bonito synchronum, quem Surius edidit. *Priusquàm in lucem* Bonitus *esset editus, Sacerdos quidam*, Fregio *nomine* (aliis est Phrigio) *fertur ad eius parentum venisse ædes*, Ibid.

atque à genitrice illius cum magno acceptus gaudio, & pro more rogatus vt ipsi benè precaretur, his verbis esse vsus: Tu mihi benedic Dei sacer ac venerabilis Domine. Quæ verba tacitè secum expendens Syagria, *tandem ex Sacerdote percontatur quid sibi illa vellent. Tum* Fregio: *Non quidem vt tu putas à te petij benedictionem, sed ab illo quem gestas in vtero, quippe quem diuinitus video ad summum vocari Sacerdotium*, hoc est, Episcopatum.

Ibid. SENATORIÆ DIGNITATIS] Ex antecedentibus videtur dicere, Boniti maiores ex Equitibus *Romanis* Senatores *Aruernos* fuisse. Synchronus, ille clariùs & ampliùs de *Boniti* parentibus, *qui ad Romanos*, ait, *Senatores suos referrent natales.*

P. 81. c. SIGEBERTI *Regis adiit præsentiam*] Filius hic *Dagoberti* ex pellice, in *Austrasiâ* regnauit viuente Patre, atque post obitum Patris conregnauit *Clodouæo II.* qui *Neustriam* tenebat. Eam scilicet *Franciæ* partem quæ spectat ad meridiem & orientem vocabant *Austrasiam*, eam quæ vergit ad Aquilonem & Occidentem vocabant *Neustriam*, vt loquitur Sigebertus Gemblacensis in vitâ ipsius Regis *Sigeberti*, quam & Surius descripsit ad diem 1. Februarij mensis. Et quidem *Sigebertus* Rex, ob egregias animi virtutes & prolixam in Ecclesias liberalitatem, vt qui duodecim monasteria condiderit, Sanctis annumeratus est. Relege Gemblacensem, Hermanum Contractum, Marianum Scotum, ac denique Molanum & Baronium.

MINISTERIVM PINCERNATVS] Synchronus ille amplius aliquid significat, habet enim, *ab eo Pincernarum princeps institutus est*, Pincerna, Pocillator, à Poculis, qui & Buticularius, poculum Regi offerebat, ideóque inter domesticas & primarias dignitates vt etiam cum Dapifero, Camerario, Constabulario & Cancellario recognoscendis & subscribendis Regum edictis adhiberetur. *Ibid.*

SVMPTO ANVLO *aureo de manu Regis Referendarij locum*, &c.] Germanè ad hoc ille Synchronus: *à Regis manu accepto anulo illud est officij adeptus quod Referendariis, vt vocant, attribuitur.* De anulo & Referendariis dicemus ex professo in Sylloge Critica quam ad calcem huius libelli dabimus. Non pigebit interim ex his obseruare longè maiorem ac præstantiorem fuisse Referendarij dignitatē quàm Pincernarum Principis: vnde illud etiam conficitur omninò hic sermonem esse de Cancellario, vt vocamus hodie, non de aliqua inferiori dignitate. *Ibid.*

CVI PRONEPOS *suis Theodoricus*, &c.] Aliter Synchronus a- *P. 91.*

Vitæ autor: *Apud eius autem successorem in tantâ fuit gratiâ*, &c. Successit autem *Sigeberto Dagobertus* filius, cui tamen paucos post annos *Childericus*, & intra pauciores *Childerico Theodoricus* subrogatus est. *Childericus* autem atque *Theodoricus* fratres filij fuerunt *Clotarij III. Clotarius* filius *Clodouej II. Clodoueus* autem frater *Sigeberti*, adeóque & *Theodoricus* eius pronepos. *Theodoricus* autem ille primus eius nominis regnauit in *Franciâ*, quem ad ann. 720. alter eiusdem nominis subsequutus est, ad cuius tempora vitam videtur prorogasse *Bonitus*, qui à Baronio & aliis dicitur floruisse sub *Theodorico IV*. Et quartus quidem illis est posterior hic *Theodoricus*, quia Regibus nostris annumarant *Theodoricum Clodouei I.* filium, qui regnauit in Austrasia; & alterum *Theodoricum Childeberti Austrasiæ & Burgundiæ* Regis filium, cui *Burgundia* in regnum obtigit.

Ibid. b. PRÆFECTVS MASSILIÆ *prima prouinciæ*] Synchronus ille, *vt præfecturam Massiliensem primæ prouinciæ illi demandarit*. Massilia, prima prouincia, an quòd prima in Romanorum ditionem venerit? an quod tanti momenti & dignitatis à Regibus nostris habita? Hoc alterum, quantum ad rem est quam agimus, magis placet.

P. 93. b. AVITVS *Episcopus*, &c.] Noster hîc de Auito præclarè, sed ex M. SS. apud Robertum non inferior laus illa quâ dicitur: Vir exterioribus studiis eruditus, sacrisque literis & omnibus officiis diuinis præpotens. Quam ferè in sententiam Synchronus ille. Censetur inter Sanctos, festúmque illi igitur ad xx. Septem. Vide Baronium ad ann. Chr. 579. Ferrarium & Sauaronem.

ARVERNORVM *Ecclesiam*] Ibid. Infra *Claromontensis*. Clarusmons *Aruernum*, supra. Et vnica quidem per *Aruerniam* Episcopalis Ecclesia vsque ad tempora *Joannis XXII.* Papæ, qui *Floropoli* ex Abbatiâ Episcopalem sedem erexit ad an. 1317.

PER QVINDECIM *ferè annos*] Ibid. MSS. de quo supra apud Robertum, *terquinos ferè annos magna cum alacritate Aruernam sibi commissam rexit Ecclesiam*. Synchronus vitæ autor: *quindecim ferè aut eò amplius annis*, &c. Quo ex calculo penè constat de tempore ordinationis *S. Boniti*. Si enim *S. Praiectus Auiti* decessor martyrium passus est an. 670. vt habet Sigebertus, sedem ad an. 685. *Bonitus* inierit necesse est, Rege *Theodorico*, *Pipino* Maiore domûs, quod scribit Synchronus ille, optiméque conuenit cum iis quæ antè diximus.

ÆSTV *nimio tellus aruerat*] P. 96. b Consentit Synchronus, qui &

ipse præsens aderat, adeò certum est æqualem fuisse *S. Bonito*. Aderat & *Bobo* vir reuerentissimus & *Magnilocensis* Abbas, qui de proroganda oratione consuluit. Videsis præfatum Synchronum.

P. 98. c. BVBO] *Bobo* supra, & *Bubus* post *Nordebertum* Aruernensis Episcopus. *Bobonis* successor *Adelphius* in regendo Cœnobio apud Synchronum.

Ibid. EX MORE *ad aram*, &c.] Hæc & plura quæ sequuntur necessariò restituimus. Erat enim abrupta & pendens oratio, nec rerum series consistebat. Ita solent qui compendia faciunt scripta simul corrumpere, atque ea decurtant, quod maximè nollem huic MSS. Claromontensis Ecclesiæ contigisse, adeò probæ & sinceræ fidei videtur.

LEVITA *Adelphius*] Successor, vt diximus, Bobonis, de quo etiam infra.

P. 98. r. VIRVM *Dei Nodobertum*, &c.] Is & *Nordebertus*, qui in vita quoque *S. Renati Andegauensis* memoratur. Aggressus ille translationem *S. Boniti Lugduno Clarum-montem* diuina reuelatione prohibitus, qua de re qui volet relegere potest Synchronum toties laudatum. Sed hîc quæstio se offert, quam nobis *B. Petrus Damiani* præstat, qui abdicationē Episcopatus postulans, & posteà defendens exemplo *Boniti* nostri se tuetur & ait: *Nec te felix* Bonite, *prateream, qui hac duntaxat occasione perceptâ, quoniam de manu Regis, laici videlicet hominis, traditionem Ecclesia te suscepisse contigerat, cathedram contempsisti, atque ad remotioris vita custodiam te protinus contulisti.* Sic illo opusc. XIX. & XX. vt habent posteriores editiones. Hic inquam se offert quæstio, si ea causa fuit Bonito abdicandi Episcopatus, quam sanctus ille vir commemorat? Verbo dicam, id præter fidem historiæ non modò quam descripsimus, sed quam tradit Synchronus omninò videtur. Et est irrefragabile argumentum ex hac Nodoberti electione, in qua eandem formam & rationem tenuit, quam in sua frater Auitus. Rem ex præfato vitæ illius scriptore ab integro repeto & describo: *Ea tempestate Sanctus Episcopus virum Dei* Nodobertum *cumprimis excellentem & industrium, genere nobilem, ingenio valdè perspicacem obsecrauit vt ipsi successor, & plebi ipsi commissa rector, patriaque defensor esse vellet. Missi autem sunt ad regem Legati idonei, qui illud negotium agerent, puta,* Cantinus *Archidiaconus, & aliquot eius comites benè digni. Illi, vbi ad virum Dei re confectâ sunt regressi cum magno omnium fauore* Nodobertum *sua in cathedra reposuit.* Prærequirebatur igitur Regis consensus, absq;

quo vt non poterat alteri sedem suam cedere, ita nec potuit anteà suscipere. Nec aliud quidquam in eius electione interuenit. Sola igitur abdicandi Episcopatus causa fuit, remotioris & tranquillioris vitæ studium.

Ibid. AD MAGNILOCENSE *Cœnobium*, &c.] Hodie *Manlieu* popularibus. Conditor eius *S. Genesius Aruernensis* & ipse Episcopus cuius memoria ad diem 3. Iunij recolitur. Primus Abbas Euodius. Locum noster ille Synchronus pulchrè describit in hunc modum: *Locus ille tam est ab hominum consuetudine remotus, támque ad vacandum veræ philosophiæ accommodatus videtur, vt omnes eum sui nominis vindicem affirment.* (quod sit putâ Magnus locus) *Nam vndique collium præsidio munitus, & nemoribus amœnis est obsitus, amnéque rigante herbæ comantes germinant, & contra Cœnobij hortulum prata viridi facie lata patescunt, quem largum ab Austro aditum triplici itinere portæ communiunt. Sole autem suos spargente radios, sanctorum Martyrum aulæ splendescunt. Insignis emicat beatissimæ sempérque Virginis Mariæ turris, cæteris celsior. Apostolorum quoque ædes fulget eximiè, Sanctorum nitent aræ, columnæ prisco sculptæ more sese subrigunt, miróque artificio cameræ ligna calata visuntur: pluraque illic habentur alia locum omnem mirificè exornantia.* Sic iam olim solent monasteria nitescere.

ROMAM *iter intendit*, &c.] *Ib.* b. De peregrinatione Romanâ cōmentarium, si Deus nos audit, quandoque proferemus. At *Boniti* nostri peregrinatio bonis operibus miraculis atque obseruationibus non paucis clara, integrè describitur ab illo Synchrono, ex quo iuuabit illam repetere ac singulorum rationem in ire, quod per hoc compendium non possumus.

ANNIS *quatuor superuixit.*] *Ibid.* Hinc potest aliqua esse coniectura temporis quo ad Deum migrauit, si enim quod narrat Synchronus vitæ eius autor *Ariperto* Longobardorum Regi per *Italiam* ex itinere occurrit eique victoriam impetrauit, id verò in an. 704. vt indicat Baronius, aut 706. vt alij volunt, conferendum est, omninò beatū virum transisse anno demùm 708. aut 710. colligemus. Ex quo reuincemus falsitatis, illorum sententiam qui ad *Theodoricum IV.* seu *Theodoricum Calam*, de quo in antecessum, beati Antistis vitam prorogant. Is enim anno tantùm 720. regni habenas capessiuit. Quin & iam tum *Bonitum* nonagenario maiorem esse oportuit, qui versatus in *Sigeberti* aulâ, his quæ diximus præclaris officiis intenderit. Nam Sigebertus ab an. 638. imperauit. Ad ea verò


muneta

munera qui admitteretur pubertatis annos debuit excedere.

Ibid. In Ecclesia *B. Petri,* &c.] Nobile illud est monialium asceterium, cuius mater quod habet Synchronus ille Surianus non siuit eos qui postulatum veniebant B. Viri corpus in Ecclesia sua pernoctare.

Ibid. Vbi septem *ferè*, &c.] Ex hoc calculo *Boniti* translatio videri potest peracta anno demùm 715. aut 717. iuxta ea quæ de illius obitu antehac constituebamus. Quo tempore apud Aruernos *Proculus*, apud Lugdunenses *Fulcoaldus* sedebat. Ille *Nodoberto*, quem supra diximus *Eubo* seu *Bubone* interposito successerat, hic *Godino* proximè suffectus impleuit quod ille negauerat. *Godinus* nimirùm petentibus Aruernis vt Episcopi sui corpus efferrent, acquiescere noluerat.

Ib. c. Clarvm-montem *translatum fuit*] Et in Ecclesia *S. Mauritij* collocatum quam nuper *Proculus* Episcopus instaurauerat, & quidem ad altare *B. Petri* & *Pauli* atque *Andreæ* Apostolorum, quorum reliquias ille curauerat ex Vrbe adferri, & magnâ cum deuotione hunc ipsum locum consecrauerat, repositum est. Eius translationis singularia Synchronus ille *Bonito* vitæ eius scriptor exequitur. Inter alia id à nobis non prætermittendum præcipuum eius rei perficiendæ administrum fuisse *Adelphium Magnilocensem* Abbatem, cui Deus editis miraculis suam de transferendo sacro pignore voluntatem reuelare dignatus sit. Sed quod maximè velim commendatum memoriæ, *S. Bonitus* à Virgine Deipara sibi in Capellanum vt loquuntur, delectus est, cui illa valefaciens, post rem diuinam, candoris eximij, miræque tùm lenitatis tùm leuitatis, vestem, cuius materia & textura à nullo mortalium potest dignosci, mirabiliter largita est.



S. ANSBERTVS ROTHOMAGENSIS EPISCOPVS,

ſub nobiliſſimis Regibus CLOTARIO III. ET CHILDERICO fratrè.

A EO tempore quo ſceptra regni *Francorum* gubernabat *Clotarius* filius *Clodouei* Regis & *Bathildis* reginæ, vnâ cum germanis ſuis, videlicet, *Childerico*, & *Theodorico*, ſanctæ recordationis Eccleſiæ *Rothomagenſis* antiſtes *Anſbertus*, virtutibus clarus, ac ſacerdotio dignus à patre *Siuuino*, & pago *Veliocaßino* patrimonióque vocabulo *Calcegio*, nobili erat ortus genere. Sed repudiato ſtemmate patrum, mox vt valuit, ſola conditoris paternitate elegit cenſeri. Denique præfatus genitor ipſius ſub prædictis regibus militauit, & vitæ præſentis cunctis mortali-

bus commune debitum ſoluit. Sed hanc terrenæ dignitatis originem, & patrum gloriam in beato viro non neceſſe remur numerare, cùm omnis ei gloria de amore veritatis, & contemptu fuerit mundi. Nam nobilitatem ſui generis in pueritiæ æuo iam quaſi faſtidiens, & ſolius Chriſti deſiderio anhelans, cunctos ſuperuacuos horrebat honores. Traditur deinde à parentibus magiſtris ſtrenuis, literis erudiendus. Eruditur ſine aliquâ eorum inſtantiâ, fuerat namque in eo dulcis infantia, modeſta pueritia, grauis adoleſcentia. Qui cùm adultus, pubertatis excederet annos, ſæcularis eius pater, vt vnicum eum diligens, venationibus eum occupari, & dulcedine ſæculi armari cupiebat. Sed quo oblectabatur grandæuus pater, adoleſcens filius per omnia faſtidiebat. His diebus quidam illuſtris *Rotbertus* nomine, generoſâ ex ſtirpe proditus, gerulus fuerat annuli regis *Clotarij*, cuius filiam religioſiſſimam ac nobiliſſimam *Angadriſinam* prædictus illuſtris *Siuuinus* à præfato inclyto *Rotberto* expetiit, volens eam ſuo iuueni filio *Ausberto* ſociari. Nec mora, præbens aſſenſum eius petitioni prædictus illuſtris *Rotbertus*, conſtituto die, caſto iuueni caſta deſpondetur & puella. Denique ambo integritatem mentis & corporis caſtè ſeruare cupientes, omnipotentem deprecabantur Dominum, vt voluptatum venena à cordibus eorum dignaretur

A B C

repellere. Deinde orante beata *Angadrisina* virgi- A
ne, vt speciositas illius in deformitatem verteretur, illicò Dominus preces eius exaudiuit. Nam facies illius ita exulcerata ac immundissimâ leprâ cooperta mox apparuit, vt à consortiis hominum quicumque eam vidisset extemplò segregandam decerneret. Medicorum deinde concurrit frequentia iussu genitoris, vt soboli charæ si quiuissent opitulari medelis, collatis præmiis, digni munerarentur. Sed quanto instantius huic operi B
insistebant, tanto Christi sponsa deformior vlcerosiórque apparebat. Tum pater diuinitùs circà suam sobolem fieri intelligens, inquirebat ab ea, vtrum in virginitatis voto vitam elegisset definire. Opto, inquit, mi genitor, & totis nisibus exoro altissimi pietatem, vt continentiæ & pudicitiæ, non effrenatæ luxuriæ, effici merear famula. Nam Christus quem concupiui sponsum, ipse mihi hanc corporis infert molestiam, vt animæ C
tribuat nitorem. qui mihi custos erit perpetuus, & in virginitatis proposito concedet perseuerare perenniter. Delectat hæc vita præsens, pater pie, sed decipit: quia omne quod in mundo est vanitas est, & concupiscentia oculorum: & mundus transit, & concupiscentia eius, qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum: sicut & Dominus manet in æternum. Hæc audiens pater illustrem accersiuit *Siuuinum*, & quæ circa præ-

ſatam ſuam ſobolem geſta erant, lucidè pandit. A
Ad hæc *Siuuinus* reſpondit: Voluntatem Domini
in omnibus ſequi oportet, neque eius nutui vllo
modo contraire velle: cuius iudicia licet ſint oc-
culta, ſemper tamen iuſta. Vocatus quoque af-
fuit & beatus *Ausbertus*, vbi diſſociabilem con-
dit libellum vt ſancta virgo *Angadriſina* non ſua
ſed Domini vocaretur ſponſa. Hoc facto ad *Ro-
thomagum* vrbem ſancto Antiſti dirigitur *Audoëno*,
vt eius benedictione perceptâ, & ſacro velamine B
operta in virginitatis propoſito conſecrari me-
reretur. Quo patrato, priſtinæ pulchritudini &
ſpeciei eleganti extemplò eſt reddita, ita vt cuncti
audientes dicerent, quia eam Chriſtus ſibi ſpon-
ſam elegiſſet perennem. Sequenti quoque tem-
pore ſancta gubernatrix efficitur Cœnobij, quod
eſt ſitum in pago *Bellouacenſi*, propè muros vrbis
Bellouaci. Genitor quoque huius ſanctæ virginis
illuſtris *Rotbertus*, & frater eius *Altbertus*, auuncu- C
li erant ſancti patris *Lantberti* ſucceſſoris in ordi-
ne regiminis beati *Vuandregiſili*, originem ducen-
tes ex territorio *Taruanenſi*. Ex quibus præfatus
Altbertus ſub prædicto Abbate *Lantberto* ſequenti
tempore in *Fontanellá* monaſterio monachus ef-
ficitur. Poſt hæc vir Domini *Ausbertus* in aulam
regis licet nolens à genitore perductus, ſicut erat
acumine ingenij clarus, cœpit eſſe aulicus ſcriba
doctus, conditórque regalium priuilegiorum &

A gerulus annuli regalis, quo eadem ſignabantur priuilegia. Vbi poſitus, piæ doctrinæ atque humilitatis exemplis ad Dominum ſe conuertens, ſæculum relinquere, & ad monaſteria declinare curabat. Atque ita, in laico adhuc habitu conſtitutus, prædicatione ſancta & ſapientiæ doctrina plures exhortando, inuitabat ad præmia felicitatis æternæ, ac ſic quotidiè in Domino proficiens atque ſuccreſcens gratiam ſibi à Chriſto collatam
B augmentare curabat. Cùm verò coram rege & principibus conſueto more diuerſa muſicæ artis inſtrumenta in chordis & tibiis audiret perſonantia, aiebat ſibi: O bone conditor, quale erit te diligentibus canticum indeficiens in cœleſtibus audire Angelorum, quámque ſuaue ac delectabile ſanctorum Choris concinentibus, & laudes tibi creatori indeficienter perſonantibus, ſi tantam mortalibus præbes induſtriam, vt peritia ar-
C tis, ac ſuauitas cantilenæ prouocent animos audientium, vt te Deum creatorem omnium deuotè collaudent? Addebátque: Laudate Dominum omnes fideles in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo, *&c.* vſque ad finem Pſalmi. Denique in aulâ regis manens, etiam Euangelij non immemor, vbi ait. *Niſi quis reliquerit omnia, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* Deo prouidente & ſibi inſpirante, elegit militiam relinquere terrenam, & cœleſti regi militare. Tunc

igne diuini amoris accensus, ac sancti Spiritus lu- A
mine perfusus, à palatio egressus, nullique soda-
lium ac sibi famulantium confiteri volens suam
voluntatem arripuit iter quod ad prouinciam du-
cit *Rothomagensem*, peruenítque ad *Fontanellam*,
cœnobium situm in territorio *Rothomagensi* super
magnum fluuium *Sequanæ*, vbi sacerdos Domini
clarus *Vuandregisilus* monasterium contruxerat,
atque cum magnâ monachorum cohorte sub
sanctæ regulæ iugo laudabilem ducebat vitam. B
Cùm vero in eodem monasterio, iubente viro
sancto, secundum ordinem monasticum in ho-
spitio fuisset receptus, cœpit ministrum humili-
ter implorare, quatenus sancti monasterij patrem
mereretur videre. Et cùm ministri pio patri im-
perata nuntiassent, tandem præfatum elegantem
iuuenem in præsentiam sui adduci fecit. Tum hu-
mi prostratus, Christúmque in tanto patre ma-
nentem humiliter adorans, postulabat ab eo mo- C
nachum se fieri. Nam corpore & mente sæculo se
renunciaturum aiebat, comámque capitis sui in
Christi amore, vt iuberet deponi, obnixè flagita-
bat. Audiens autem venerandus pater sanctam
& Deo dignam eius postulationem, inducias con-
sulendi super hoc dicebat habere se velle, vt si-
cut apostolica & monastica docet regula, sciret
ad quod venerat. Quibus expletis spiritalium fra-
trum consilia suscipiens inclytus pater, pia eius

A vota veluti postulauerat impleuit, clericatúsque habitu decoratum reddiderunt. Sicque ex eo tempore cœpit ipse vir Dei amore sanctarum scripturarum legendo feruere, assiduéque dulcissimos earum fructus intelligendo carpere. Cúmque acumen ingenij in præfato iuuene beatus pater *Vuandregisilus* pollere cerneret, diuersorum voluminum copiam concitè ei tribui iussit. Quæ cùm sedulè legendo percurreret, cuiusdam sancti B patris sententiam reperit scriptam continentem hunc modum: Monachus viuat in monasterio sub vnius disciplina patris, consortióque multorum, vt ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam. Hæc & cætera legendo percurrens, oculósque lachrymarum imbre perfundens tractare attentissimè cœpit, qualiter hæc operando valeret implere. Primò quidem custodem omnium virtutum humilitatem in corde suo studuit fun- C damentum iacere, imitans illum qui ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et ita Christi iugo suaui, & oneri eius leui deuota submittens colla, factus est in cœtu monachorum cunctis humilior, omnibúsque obediens, vigiliis frequens, orationibus assiduus, spiritu feruens, spe gaudens, Domino sine intermissione seruiens. Cui etiam data erat ex compunctione cordis per infusionem Spiritus sancti effusio lachrymarum. Et cùm ante vigilias consurgens precibus deuotis incum-

incumbens lassesceret, signo tacto ad excitandos A
fratres, quô laudes Domini decantarent, in con-
uentu orationis prior omnibus se præsentabat:
in hoc etiam sicut & in cæteris actibus, mutabi-
lem monachis viam demonstrans, ita vt vir Dei,
qui regimini præerat loci multos obiurgando
corriperet, & pusillanimitatem redargueret, pro
eo quod præfatus iuuenis nuper conuersus, in
Dei opere & obseruatione legis eos præueniret.
Et cœpit eum chariùs diligere, sicut monastica B
docet norma, nitore religionis deuotè pollen-
tem, omnibus modis diligendum. Quadam nam-
que die in conuentu omnium monachorum,
præclarum Domini sacerdotem *Vuandregisilum*
humiliter exorabat, vt licitum sibi foret in ope-
re manuum quotidiano cum licentia patris extra
solitum fratrum opus insistere, vt sua mortifica-
ret membra, quæ erant sibi obstantia super ter-
ram. Hæc eo implorante, gratias omnipotenti C
Deo fratres agentes admirabantur super eius Deo
digna deuotione. Cúmque à patre spiritali quod
petierat, sibi indultum gauderet, cœpit postula-
ta cum magna implere deuotione. Quodam enim
tempore à climate meridiano, distantem à præfa-
to cœnobio passus fere quingentos, hortatu eius-
dem viri Dei, beatus *Vuandregisilus* vineam plan-
tare & excolere cœpit. Quo in loco præfatus Vir
Domini *Ansbertus*, dum vna cum fratribus ope-

A taretur, *Theodoricus* adolescens, futurus rex, venatibus, vt sibi gentilitium erat, insistens, ad præfatum Dei hominem accessit, quia nouerat eum prudentem doctrina, humilem cultu, sanctissimum imitatione. Nam à sancto Pontifice *Andoeno Rothomagensis* Ecclesiæ, iam fuerat presbyter consecratus. Quem idem homo Christi, & sanctâ B benedictione muniuit, & sacerdotali authoritate de plurimis sanctæ doctrinæ hortamentis instruxit, insuper & regem eum futurum esse prædixit. Quo negante id futurum esse, respondit vir Dei: scias quia honore regni sublimaberis: sed noueris te multa aduersa in regno perpessurum, sicque laboriosissimè triumphum de hostibus tuis adepturum. Quod postea rei probauit euentus. Ad hæc adolescens intulit *Theodoricus*: si pia omnipotentis Dei ordinatio me in culmine dominan-C tem constituerit regni, opto te dignum Deo fieri antistitem, vt perpetuâ sanctâque doctrinâ crescat Ecclesia fidelium. Cúmque sacerdos indignum se tanto onere ferendo diceret, ipsúmque ex successione hereditaria regni fastigia amplius conscendere debere intimaret, & ille adhuc dubitans permaneret, adiecit vir sanctus: In hoc noueris meis fidem accommodandam verbis, si hodie hyemali tempore locus, in quo tabernaculum consistit, qui nunc tritus ob vestigia eiusdem tentorij cæteris agri partibus viridior ma-

neat in æuum. Quod ita ſecundum ſermonem A
hominis Dei eueniſſe, omnibus illò aduentantibus indicium eſt, ita vt vſque ad hanc diem locus ille veridior reliquâ agri parte appareat, in modum tentorij ibi quondam fixi, ſiue hyemali ſiue æſtiuo tempore. O magna & inclyta iſtius ſancti gloria, cuius laudabile meritum tali voluit omnipotens ſigno demonſtrare: vt qui veluti palma in Domo Chriſti florebat, tali præſagio virtutis manifeſtaretur populis. Et cùm prædictus vir B
Dei ab opere manuum paululum vacaſſet, paruiſſimo refocillatus ſomno, rurſùm meditationi diuinæ omni conatu erat inſiſtens. Cúmque tantæ humilitatis atque obedientiæ ſeu deuotionis lumine radiaret, veræ charitatis feruor omnium circa illum corda inflammauerat, vt miro à cunctis veneraretur affectu. Ipſe verò ſemper ardens deſiderio futuræ gloriæ, indeficiens erat in opere Dei. Ergo operæ pretium videtur nunc narra- C
re, qualiter vir ſanctus in regiminis loco ſubrogatus & conſtitutus ſit. Denique cùm inclytus Domini ſacerdos *Vuandregiſilus* per viginti ferè annorum ſpatia hoc cœnobium à primo ædificationis die in regimine tenuiſſet, iámque foret in decrepitâ ætate poſitus, antè tranſitus ſui ex hac vita diem languore correptus ad extrema peruenit, interrogátque cum lachrymabili voce vniuerſum agmen monachorum, quem ex ſe-

A metipsis eligerent rectorem. Quibus fertur tale edidisse eloquium: duo sunt in præsentia nostra, charissimi filij mei, hos subrogate rectores. Meúmque fragilem recessum precibus vestris protegite, atque mearum admonitionum semper mementote; Christo summo pastori, vestri hodie curam committo, qui vos vsque in finem perenni tutelâ conseruet. Quo in cœlestis regni societatem, ab angelicis choris suscepto, omnis caterua mo-B nachorum Christi Domini exorat pietatem triduanum celebrans ieiunium. Quo expleto, iubente Deo, eligit famulum Domini *Lantbertum* religione præclarum, & genere nobilem, ex territorio Teruannensi ortum: cuius genitor *Erlebertus* vocabatur, qui plurima prædia prædicto loco *Fontanellensi* in eâ *Teruanensi* regione felici munere largitus est. Erat autem idem venerandus *Lantbertus* charitate plenus, pudicitia superminens, C fide firmus, consiliis prouidus, in bonitate laudabilis, in colloquiis affabilis, vultu & statura decorus, venerandus omnibus, & in Christi religione feruens. Et inspirante gratia diuinæ charitatis, beatum Christi famulum *Ansbertum* idem venerabilis pater venerabatur vt patrem, diligebat vt filium. Erátque eis in Domino cor vnum, & anima vna. Is autem qui regiminis susceperat curam, ad consulta sancti patris *Ansberti*, in tractando gregem Christi, secundùm normam pa-

trum ſanctorum, ſtrenuè cuncta atque irrepre- A
henſibiliter gerebat. Quorum exemplis pię actionis, ac verborum ſedulis exhortationibus plurimi excitati carpebant itinera ſanctæ conuerſationis. Huic venerando patri *Lantberto Theodoricus* rex, filius *Clodouei* regis & *Baltildæ* reginæ, largitus eſt patrimonium aliquod, cuius eſt vocabulum *Duſera*, quod ſitum erat vltra fluuium *Rhodanum*, in regione, quæ propriè vocatur *Prouincia*, eo videlicet modo, vt hoc prædium mona- B
chis in cœnobio *Fontanellæ* morantibus luminaria miniſtraret in Eccleſia, in oleo & cæteris huius rei neceſſariis. In quo loco prædictus pater egregium condidit cœnobium monachorum, directis ex cœnobio *Fontanellâ* monachis, qui illud laudabile opus diligenter executi ſunt. Et de prædio paruo magnum hactenus exſtat monaſterium monachorum, & in illa regione ab aliis præcipuum. Quod per multa annorum curricula di- C
tioni præfati monaſterij *Fontanellenſis* ſubiectum erat, donec diuiſione regni & diſcordia principum, & incurſione nefandæ gentis *Agarenorum*, cum aliis venerabilibus locis aliquando depopulatum tempore, finem ſubiectionis fecit. Sub huius etiam regimine, beatus *Ermelandus* ex prædicto monaſterio *Fontanellâ*, rogante venerabili pontifice *Paſchario* Nemetenſis vrbis, in eandem regionem *Nemetenſem* ab ipſo patre *Lantberto* di-

A rectus, in quadam insula aluei *Ligeris* quæ vocabatur *Antrum*, iuxta nominis eiusdem proprietatem, monachorum venerabile ædificauit cœnobium, in cuius largitione prædictus Antistes *Pascharius* statuit, vt post decessum eiusdem venerandi patris *Ermelandi*, ex monasterio *Fontanellâ* per cuncta succedentia tempora, sibi instituant rectores, vniuersi præfati loci habitatores, veluti largitiones eiusdem loci quæ adhuc in B præfato monasterio *Fontanellâ* seruantur, apertissimè declarant. Prædicto etiam patre *Lantberto* regimen loci tenente, beatus Christi pontifex *Erenbertus Tolosæ* vrbis, & sanctus presbyter *Condedus*, & anachoreta, Britanniâ insulâ ortus in prædicto monasterio *Fontanellâ* Deo dignum & nomen assumpserunt & habitum. Plurima enim de tanto patre, nisi ad alia festinassemus, Deo digna & loco vtilia, per eum & sub eius regimine C gesta, dici poterant, quæ in eius gestis olim pleniùs memoriæ tradidimus posteris intimanda. Quo verò ordine in *Lugduno* celeberrima vrbe Galliæ pontifex sit subrogatus breui sermone narrabimus. Defuncto igitur sancto *Genesio* præsule eiusdem vrbis, cuius Deo dignam vitam laudabilia commendant gesta, ilicò pius rex *Theodoricus* & inclytus princeps *Pipinus Ansegisi* filius, consobrinus videlicet beati patris *Vuandregisili*, cum proceribus palatij salubre agentes consi-

lium, diuinâ vtique prouidente iussione, in præfatâ vrbe cum vnanimi eiusdem regionis populi voto, eiusdem vrbis eum constituerunt antistitem. Sed cùm diu humilitate nimia renitens, nollet suscipere, regali iussione, & sacerdotali electione compulsus præfatæ metropoleos vrbis ordinatur pontifex. Sicque ad eandem prouinciam cum honore sacerdotij sui condigno directus, humilitatis ac sanctæ prædicationis piæque actionis exemplis gregem Christi sedulo moderamine irreprehensibiliter rexit: Ibique à Domino vocatus, vinculis terrenæ corruptionis exutus ad supernæ ciuitatis gaudia feliciter migrauit. In prædicto verò cœnobio Fontanellâ, post recessum sancti pontificis *Lantberti* diuino nutu iuuante, vnanimes eiusdem congregationis monachi beatum *Ansbertum* sibi elegerunt præesse rectorem. Ipse autem post receptam regiminis curam, assiduè meditabatur quale suscepisset onus, videlicet commissi à Domino gregis regere animas, & multorum seruire moribus. Et quia erat apprimè sanctarum scripturarum scientiâ imbutus, commisso sibi gregi indesinenter erogabat pabula æternæ viriditatis, verbis & actibus itinera monstrans sanctæ conuersationis. Erat enim sicut cæteris prælatus, ita cunctis humilior. In vestitu vilis, in cibo mediocris, abstinentiæ iugi deditus, pudicitia ornatissimus, hilaritate cordis & corporis

A clarus, patientiæ virtute, ac charitatis obſequio, eleemoſynarúmque largitionibus abundantiſſimè cumulatus. His virtutum ſanctarum operibus adornatus, in medio fratrum veluti lampas refulgebat accenſa. Quadam námque die, cum more ſolito edicta legis diuinæ in conuentu omnium recitaret, ita ex affluentia eloquiorum illius nimio charitatis ardore reddita ſunt audientium corda flammiuoma, vt plurimi ex illis ad lachrymas compulſi, immenſas omnipotenti Deo gra-
B tias redderent, dicentes: benedictus Deus qui talem non noſtri merito, ſed ſuæ pietatis intuitu dedit nobis rectorem. diligebatur enim à cunctis vt verus pater: & ipſi ab eo ſicuti deuoti filij. Ipſe autem ſtudebat ſemper plus amari, quàm timeri, & peruigili curâ in animabus ſaluandis animum defigere. Cùm igitur eiuſdem beati viri prærogatiua meritorum longiùs clareſceret, confluebant ad eum paſſim plurimi, ſaluationis ſuæ ſalubria
C expetentes conſilia, & quoniam ſacerdotij dignitate fulgebat, confluentium ad ſe confeſſiones ſuſcipiebat monita eis ſalutis impertiens, quomodo ſalui eſſe poſſent, & vias iuſtitiæ ſine defectu alicuius tædij immobiliter retinerent. Cuius doctrinâ & exhortationibus plurimi corroborati, munitíque ad conuerſionis feſtinantes gratiam, plurima deferebant dona in ſpeciebus diuerſis pretioſorum metallorum, ſed & poſſeſſionum

num prædia nonnulla in diuersis territoriis: quæ A
cuncta curiosus lector, inspectis testamentis seu
largitionibus eorumdem fidelium facilè reperiet.
Quæ etiam vt multis liquidò patet, multimodam
millenarij numeri effecerunt summam. Erat enim
secũdum Deum religionis sanctitate omnimodis
ornatus: in sęculi quoque astutiâ prudẽs: eiúsque
bonitatis ac religionis opinio longè latéque laudabilis, immo imitabilis, vbique percucurrit. In
præfato nãque venerabili *Fontanellensi* monasterio, inter felicia bonitatis suæ gesta, etiã xenodo- B
chium imbecillium ac decrepitorum pauperum,
instar duodeni Apostolici numeri constituit, deputatis eisdem, rebus quæ sufficienter præberent
alimoniam. Alias quoque duas constituit in eodem monasterio pauperum Christi debilium
mansiones, quos in octonario ex multis sacrato
numero, singulatim octonos habitare fecit. Quibus sine indigentiâ quotidianum largiri victum C
perenniter censuit. Horum vacatio nulla erat
alia, nisi horis constitutis diurnis nocturnísque
in domo Domini residere, orationi ac vacationi
diuinæ deuotè insistere, ac tempore sancti sacrificij pro salute, & saluatione populi Christiani
Ecclesiáque Catholicâ vbique diffusâ victimam
salutarem offerre. O magna, & inclyta istius sancti Patris opera quæ non tantùm verbis volant,
quantum virtutibus constant. Sed his interim

A omissis, nunc iuuante supernæ pietatis gratiâ, narrare aggredior, qualiter idem vir venerandus pontificatus conscenderit gradum. His enim diebus contigit vt beatus *Audoënus Rothomagensis* vrbis Pontifex, plenus virtutibus & sanctis actibus, à Domino vocatus, migraret è mundo feliciter. In cuius exequiis beatus pater *Ansbertus*, vnâ cum aliquibus monachorum suorum, clericorúmque ac sacerdotum Christi cohorte pluri-
B mâ, affuit. Qui vigilias eius sacræ depositionis solenniter celebrantes, dignis exequiarum honorarunt debita seruitute obsequiis. Post cuius sacrum transitum, ne Ecclesia de pastore amisso iacturam pateretur, cuncti *Rothomagensis* vrbis ciues, missâ petitione ad *Theodoricum* gloriosum regem, cum eius permissu & authoritate, beatum *Ansbertum* sibi elegerunt consecrari antistitem. Quorum electioni congaudens rex, quo-
C niam in eodem sancto Patre sapientiam affatim redundare & religionem pollere cognouerat, ilicò eorum annuens petitionis electioni, extemplò legatos dirigit, qui eundem Christi famulum regias perducerent ad ædes. Nec mora: legati ad beatum patrem *Ansbertum* peruenientes, mandata regis pandunt, ad aulam regiam ire compellunt. Morabatur quippe rex in villa *Clypiaco*, quæ sita est in *Parisiaco* territorio, vbi conuentum magnum populorum habens, de vtilitate & tutelâ

regni tractabat, vt ad eius consultum, veluti agere consueuerat, (nam confessor illius erat) de regni negotiis tractaret. Sed cùm supra dictus vir Dei hoc audisset, ilicò agnouit, non aliud istâ euocatione fieri, nisi electioni ciuium *Rothomagensium* in ipso, regem assensum præbere velle. Fertur etiam legatis regis respondisse causâ eximiæ humilitatis, indignum se fore officio curæ pastoralis. Qui festinanter retulerunt regi, nunciando quale responsum acceperant. Secundò quoque ad eum mittens rex, callidè intulit, nullo modo contra suam voluntatem, postquàm vnâ loquerentur super ordine Pontificatus, agere se velle. At ille vt erat sanctæ simplicitatis sapientiâ plenus, ad eundem regem ire deliberauit. Tunc eligentibus ciuibus præfatæ vrbis metropoleos cum vnanimi voto sanctorum sacerdotum, regis, & principum, eligitur, trahitur, atque in eodem palatio à sancto *Lantberto* Archiepiscopo sedis *Lugdunensis*, aliísque sanctis Præsulibus, qui ad hoc generale placitum conuenerant, in pontificem consecratur Ecclesiæ *Rothomagensis*, diuinâ vtique prouidente ordinatione, vt qui in paucis fidelis extiterat suprâ multa à Domino constitutus, abundantem daret suæ in tempore familiæ tritici mensuram. Deinde in pontificatus honore & onere sublimatus, cœpit opere sanctitatis amplius clarescere, prædicationis lumine A B C

A vbique radiare, & velut lucerna accensa non iam sub modio, sed super candelabrum posita errorum tenebris depulsis, viam veritatis cunctis monstrare, pietati & misericordiæ erga omnes operam dare, pauperum indesinenter curam agere, viduarum & pupillorum causas defendere, peregrinorum & hospitum susceptionibus magnoperè studere, eleemosynarum distributionem iugiter & hilariter cunctis administrare. Hæc &
B his similia exempla subiectæ sibi plebi indesinenter festinauit monstrare. Floruit enim sub ipso Christi Ecclesia, sicut monasterium antè floruerat, creuit gratiis, decreuit metallis. Aliquando enim ingrediens locum vbi Ecclesiæ thesauri reconditi erant, ipsos sibi iussit præsentari & aliqua distribui, plurima reseruans vt eleemosynæ pia largitio è sinu sanctæ matris Ecclesiæ, cum pietatis fructu, benignè procederet. Nam quæ
C ociosè diu congesta fuerant ad reprimendam famis validæ penuriam, quæ tunc populos vndique grauiter premebat, dignis tandem indigentium vsibus deputauit, & dudum defunctis thesauros suos misit. Alieni temporis vota dispensationem fecit suam. Contigit enim tunc pauperum turbam præ foribus conclamare, eleemosynam petendo. Quibus ille auditis ac reminiscens diuinæ sententiæ dicentis: *Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exau-*

dicitur: largiter eis eleemosynam tribuit, cunctósque gaudentes redire fecit ad propria. Sicque postmodùm cùm in sede vrbis suæ Missarum solemnia solemniter celebraret, populi diœcesis vndique ad eum confluxerunt, virorum ac mulierum multitudo magna. Lecta autem Euangelij lectione, conuersus ad populum, multa cœpit eis ventura prædicere aduersa simul & prospera esse cauenda, & vt nec vnum frangeret, nec alterum extolleret: æternæ felicitatis præmia, auida intentione esse quærenda commonuit. Et cùm multa eis præsentia ac futura per illustrationem sancti Spiritus prænunciaret, ex tam excellentis prædicationis gratiâ sibi data omnes compuncti, & igne diuini amoris succensi, ad pœnitentiam agendam, & cætera bonorum operum exercitia peragenda, accensi sunt, grates omnimodas agentes summo omnium bonorum largitori, qui talem eis non sui merito, sed propria pietate concesserat doctorem, vt eorum temperaret multiformiter mœrorem, ab eo, quem nuper corporali visu amiserant, pastore: & quia cuncta gaudebat Ecclesia super pio pastore, vrbs congratulabatur egregio prædicatori, & patria omnis exultabat magnificè in tam sapiente ac prudente consiliario. Expletis autem Missarum solemniis, cunctos ciues, nobiles videlicet, & ignobiles, introduci iussit ad præparata

A conuiuia. Vbi cùm ordinatè, & dispositè fecisset omnes discumbere, ipse ad mensam pauperum resedit, imitans illum qui cùm esset diues, propter nos pauper factus est: qui etiam in retributione iustorum dicturum se esse promisit: *Quamdiu fecistis vni de minimis his meis, mihi fecistis.* O quàm præclarum pontificem, qui suæ familiæ duplicem dabat alimoniam quotidiè, cùm & corpora replebat cibo terreno, animásque reficiebat verbo diuino. Cùm verò pro salute animarum at-
B tentissimè vigilaret, etiam Archidiaconos conuocans, de prædicatione populorum, & Ecclesiarum restauratione & honore, maximam gerere curam sedulè commouebat. Census etiam, qui de vicis publicis canonico ordine ad partem pontificis persolui consueuerant, gratuita benignitate in restaurationibus Ecclesiarum benignissimè presbyteris indulsit earundem Dei ædium. Studebat enim amore potiùs regere, quàm terro-
C re dominari. Denique vt primùm pontificali potitus est gradu, prima ei cura concordiæ fuit, & præcipuus labor fraternam dilectionem inuiolabilem custodiri. Iam verò illam suam profluam in omnes charitatem, nulla vnquam ad plenum effari valet lingua. Intereà dum multimodam eius in omnes gratiam memoro, etiam super *Fontanellensis* cœnobij sancta monachorum congregatione quantam solicitudinem & peruigilem

curam indesinenter habuerit, testatur inter reli- A
qua prærogatiuæ eius gesta etiam priuilegij sui
auctoritas, quàm prædicti cœnobij habitatoribus, ob Dei amorem, & sanctorum reuerentiam, summa deuotione edidit. Denique cum sanctorum sacerdotum & omnium ciuium *Rothomagensium* electione, & gloriosi regis *Theodorici* consensu, in Pontificem consecratus fuisset, nimio dilectionis feruore quem erga prædictum venerabile cœnobium semper habuerat, priuilegij
sui auctoritatem eidem edidit, vt per succedentia B
tempora secundum sancti patris *Benedicti* regulam, &, vt præcedentium regum *Clodouici* videlicet, & *Clotarij*, simúlque *Childerici* & *Theodorici* priuilegiorum authoritates docent, ex semetipsis sibi perennibus temporibus Abbatem eligerent. In qua etiam iustæ alligationis verbo præsentes futurósque qui ibidem Domino militaturi erant,
constringit, vt sicuti sub eius regimine, ita & C
deinceps & ipsi & posteri eorum, secundum regulam sancti patris *Benedicti* fideliter Christo deseruirent. Quòd si aliquando peccatis exigentibus aut negligentiâ pastorali, à viâ rectitudinis, & obseruatione regulæ sancti *Benedicti*, in futuro deuiare conarentur aut cogerentur, tunc conuocatio sanctorum sacerdotum, reliquorúmque militum Christi vnanimiter fieret, eorúmque per consilium in pristinum reducerentur sta-

A tum. Si verò hac pontificali authoritate postpositâ, qualibet cauillatione, sinistram elegissent vitam ac conuersationem tenere, sub vinculo anathematis æternaliter se damnandos scirent. Facta est autem hæc priuilegij authoritas sub anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo octogesimo secundo, Indictione decima, qui erat annus præfati gloriosi regis *Theodorici* tertius decimus, & præfati venerandi Præsulis pontifica-

B tus annus quintus, in Synodo generali, *Rothomago* vrbe habitâ, vbi plurima Deo accepta & sanctæ Ecclesiæ vtilitatibus profutura disputata sunt. Affuerunt quoque & sancti Pontifices, aliique venerabiles viri, ab ipso præcipuo Præsule euocati quorum subter tenentur nomina asscripta: *Ansbertus* Archiepiscopus vrbis *Rothomagensis*, huic concilio præfui & subscripsi. *Radbertus* Episcopus, *Regulus* Episcopus, *Airardus* Epi-

C scopus *Carnotenæ* vrbis. *Ausoaldus* Episcopus *Pictauensis* vrbis. *Aquilinus* Episcopus Ebroicinæ vrbis. *Cadoënus* Episcopus, *Arnonius* Episcopus, *Saluius* Episcopus, *Desiderius* Episcopus, *Fulcrannius* Episcopus, *Ioannes* Episcopus, *Vuillebertus* Episcopus, *Gerebaldus* Episcopus, *Baiocassinæ* vrbis, *Taurinus* Episcopus, *Annobertus* Episcopus *Sagiensis* vrbis. *Celsus* Abba, *Audomarus* Abba, *Secladio* Abba, *Bosochindus* Abba, *Gerardus* vicedominus gloriosus antefati magni Pontificis. *Ermentrannus*,

trannus, *Ferrocinctus*, & *Fortianus* Archidiaconi A venerandi. Aderat quoque Presbyterorum residentium, & diaconorum circunstantium magnus numerus. *Ragnomirus* lector huius sancti concilij gesta, & hanc priuilegij authoritatem ipso sancto Pontifice iubente, recognouit, & subscripsit. Confluentibus autem ad se potestatibus feruentia Christi mandata deuoto animo seruari semper hortatur idem Præsul venerandus, B magnásque Christo gratias agendas commonebat, qui morte & resurrectione propriâ mortem nostram spe resurrectionis animauit, æternam vitam offerens; discusso æternæ mortis horrore. Sicque vitam suadebat tenendam ne vitæ extrema timerentur. Inter reliqua bonitatis suæ opera, quæ in Episcopatu gessit, qualiter etiam venerabile sancti antistitis *Audoëni* corpus Christo propitio in eminentiorem locum Ecclesiæ *S. Petri*, quæ sita est in suburbano vrbis *Rothomagensis*, C transtulerit, narrare aggredimur. Cùm itaque de diuersis prouinciis plures congregasset artifices, condidit super eius sepulchrum repam miræ magnitudinis, pretiosis metallis auri argentique decoratam, gemmísque pretiosis adornatam, sicut vsque in præsens humano visui apparet, constituta ergo die in solemnitate *Ascensionis Domini* sacerdotum ac monachorum reliquorúmque Clericorum adunata multitudine ipsum sacrum cor-

A pus leuari fecit, cum reuerentiâ magnâ & hymnorum laudibus, Clero personante, atque in absi- de præfati S. Petri Apostoli Ecclesiæ recondidit, feliciter, cum gaudio & honorificentiâ magnâ. Intererat autem in hoc sancto conuentu, inter alios viros venerandos etiam clarissimus *Gerardus* vicedominus, qui magna præparari fecit conuiuia, quia plebs innumera ad tam venerandi Præsulis translationem sanctam vndique conue-
B nerat. Completis autem Missarum solenniis præfatus *Gerardus* cum viris nobilibus, iussu sancti Pontificis ad conuiuandum resedit. Pontifex verò clarus *Ansbertus*, more solito, cum peregrinis, & pauperibus discumbens, cum ipsis epulari gaudebat. Nam ipsa die ministri officium gerens pauperibus & egenis obsequium in eorum refectione humiliter exhibebat. Erat enim iucundâ facie hilaríque vultu, quia minister esse meruerat pau-
C perum, immò Christi Domini, qui illis, qui pauperibus benignè faciunt, præmia se largiturum promisit æterna. Magna illi inter hæc aduenarum & hospitum cura. Aderat prætereâ munifico animo par substantia, pari fide ministrata. Et non solùm indigentibus alimoniam tribuebat sufficienter, sed etiam tegumenta corporum & numismata largiter offerebat. Hinc iam ex diuersis regionibus diuersarum personarum frequens ad eum concursus erat, quos per se & per proba-

tos viros, & numere exhortationis & benedictio- A
ne pontificali Deo digna ditabat, & subsidia corporeæ necessitatis hilariter & sine defectu tribuebat. Mirabantur enim plurimi, vnde tam copiosa prodiret pij dispensatoris substantia. Nam etsi aliquando contigisset exhauriri dispensationis substantiam, fides tamen semper mansit solida. In prædictâ verò sancti Præsulis *Audoëni* translatione venerandâ, omnes ciues propriæ vrbis *Rothomagensis*, necnon & habitatores monasterio- B
rum circumadiacentium, Clerici videlicet & Sanctimoniales, de dato ipsius Præsulis venerando, vbertim refici meruerunt. Factáque est deinceps per succedentia tempora in commemoratione beati Pontificis *Audoëni* illius vrbis ciuibus hæc dies solemniter celebris. Ipse autem egregiæ conuersationis Pontifex, semper reminiscens plebis sibi à Domino commissæ, frequenter, iuxta ministerium sibi traditum, parochias circumibat C
proprias, prædicationis sanctæ rorem & piæ conuersationis dulcedinem indesinenter eorum instillando mentibus. Qui etiam ad hoc diuini ministerij opus, probatæ conuersationis viros semper secum retinebat, quorum iuuamine fultus, populum sibi creditum æternæ visionis deduceret ad regnum. Sic vnius prædicationis gratia dispensatores multos habebat. Sed humani generis hostis, æmulus semper bonorum, cuius

A inuidiâ mors propinata est homini, callidissimâ egit arte, vt vir splendidus mundo, splendidior in Christo, propriâ priuaretur pontificali sede, essétque detrimentum plebis ablatio tanti pastoris. Nam cùm inter principes Francorum, sæua esset exorta discordia ob multiformem regni diuisionem, callidus humani generis hostis malignorum contra Dei famulum seruire fecit inuidiam, qui *Pipino* principi fraudulenter suggere-
B rent, præfatum virum sanctum aduersus eum contraria tractasse consilia. Decedente enim de ordine principatus *Vuarratone* illustri, & eius filio ac supplantatore nefando *Gislemaro*, *Pipinus* præfectoriam administrationem Domino largiente adeptus est. Quo tempore incusatus apud ipsum Principem præfatus Pontifex sanctus, iussu eiusdem exilio deportatur in *Altummontem* monasterium, quod est situm in territorio *Hannoniensi*
C super *Sambre* fluuio. Cui tempore illo præerat venerabilis *Halidulfus* Abba. Nullo extante crimine humiliter exilij subiit ærumnam. Perueniens autem ad præfatum cœnobium, cœpit assuetis sanctæ conuersationis ac piæ religionis operibus, cunctis eiusdem loci habitatoribus, monstrare lucis exempla, quos quidem in diuinâ religione feruentes inuenit, sed infrâ parui temporis spatium exemplo & doctrinâ suâ feruentiores reddidit. Etenim ieiuniorum instantiâ ac vigiliarum

prolixâ pernoctatione indesinenter se affligebat, A
orationum, ac lachrymarum imbre assiduè rigabatur. Cui omnipotens hanc contulit gratiam, vt vniuersi loci habitatores cernentes eius in Christo imitabilem deuotionem, extemplò eum vnico diligerent affectu, nullóque temporis interuallo, opportuno eius abesse vellent colloquio. Nam & infra ipsius ambitum cœnobij plurima habitatorum vtilitati dictauit opera, quæ hodiéque eorum necessitati manent vtilia. Sed B
versutiâ hostis antiqui instigante, malignorum aduersus eundem virum Dei accensa est inuidia, qui prædicto principi iterum moliebantur suggerere, vt maiora ei inferret exilij detrimenta. Quapropter præfatum venerabilem patrem *Halidulphum* accersiens idem præclarus pastor, ad prędictum excellentissimum Principem vnâ cum aliis viris venerandis direxit, satisfaciens humiliter eius animi voluntati, adiiciens etiam se non C
sua sponte Episcopatus suscepisse gradum, sed iussione Principum, & electione ciuium humiliter suscepisse illud ministerium. Quapropter pergens prædictus cœnobij pater ad eundem inclytum Principem, superno iuuamine fretus petita concitè impetrare meruit. Reminiscens etiam idem Princeps propinqui sui, sancti patris *Vuandregisili*, sub cuius sancta disciplina præfatus sanctus pontifex *Ansbertus* olim regulari ordine ali-

A tus fuerat, quæcumque perperam gesta fuerant, clementer indulsit: insuper & ad sedem propriæ vrbis reuertendi licentiam tribuit. Sed ne hoc fieret, diuina vocatione præuentus est, vt in sequentibus dicemus. Rediens autem præfatus venerandus Abba *Halidulphus*, mandata Principis pandit. Ad hæc idem sanctus Pontifex: Gratias tibi bone Iesu, qui dirupisti vincula serui tui, & tribuisti verba placentia in conspectu Principis, & liberasti me de manu insurgentium contra me, B & iniecisti mihi etiam in hac exilij ærumnâ vincula amoris tui. Memorans verò quod alicubi legerat, quia magni viri multa patiuntur, & vt alios pati doceant, nati sunt in exemplum: semetipsum in spiritu humiliato & animo contrito incessanter affligere non cessabat, offerens altissimo quotidianæ laudis holocausta dignissima. Nam si tempore persecutionis Neronianæ aut Decianæ interfuisset, nulli dubium quia pro con-C fessione Christi Domini, nec vim ignium, nec laniatum bestiarum, nec equulei supendium, postremò nec gladium pertimesceret persecutorum. Sentiens verò ex reuelatione diuina diem vocationis suæ imminere, (nam & Angelicam super hoc meruit visitationem) misit iterum ad prædictum religiosum principem *Pipinum* humilem petitionem, vt licitum foret eius corporis membra ad cœnobium referri *Fontanellense*, vbi

dudum regulari ordine Domino militauerat. Qui A
eius annuens petitioni, vt ita liberè fieret extemplo concessit. Et licet pauci cum eo essent è suis, plurimùm tamen confortabantur à Domino: quia valdè minus indigebat idem Pater humano solatio, qui fruebatur Angelico obsequio. Die enim quinto Iduum Februariarum imminente vocationis suæ hora, conuocans fratres, celebrari sibi sacra fecit Missarum solemnia. Deinde perceptione corporis & sanguinis Domini se mu- B
niens, ac sanctæ Crucis vexillo se cunctósque circumadstantes signans, somno vltimo exceptus, in mortis quiete dormiens, transiit feliciter è mundo, & ab Angelicis choris anima eius sancta, generosa, syncera, & ab omni contactu mundi incontaminata, in consortium Sanctorum, & felicitatis perpetuæ, in perpetuum collocanda, suscepta est. Cùm verò post lauationem corporis ad induendum illud ventum esset, inuenerunt in C
poplitibus genuum, & brachiorum cubitis ob prolixam precum instantiam, obduratam cutem. Sicque quod egerat viuens, mortificans membra sua, caro pandebat defuncta. Itaque sanctum illud corpus magnâ fidei ambitione vestitum est, ac de super linteis ceratis obuolutum: quia ipse prædixerat hoc sibi à Domino impetratum esse, vt ossa sua in prædictum *Fontanellense* cœnobium tumulanda deferrentur. Sicut enim sanctis altari-

A bus Christi assistere consueuerat, ita indui eum fratres curarunt. Sed cùm sudarium cerâ litum, capiti eius imponere vellent, visus est aperuisse oculos effigiem præferens viuentis, ita vt aliqui dicerent eum esse rediuiuum. Nam aspectus faciei eius multùm erat roseo perfusus colore. Quidam verò dicebant pro sudario cera imbuto quasi indignatum esse. Viderunt enim non sine suâ gloriâ, gloriam Dei in Sancto suo triumphan-
B tem. Nam & illa exequiarum religio, fidei deuotio erat. Et tam lætum erat talem habuisse patronum, quàm graue talem amisisse. Postea sepelierunt eum cum decore, & honorificentiâ summâ. Cùm verò lampas liquore olei plena ante eius sepulchrum à fidelibus accensa fuisset, & die noctúque indesinenter non solùm arderet, sed etiam redundaret, & hoc factum fratres mirarentur, ac diuinæ deputarent gloriæ, posuerunt aliud vas,
C in quo distillantia eiusdem olei diuinitùs elati refunderetur. O magna & inclyta, pastor *Ansberte* clarissime, & felix gloria tua. Non enim indigebat meritum tuum signis probari, quia admirabilis & gloriosa tuæ conuersationis operatio plena virtutibus, perpetuum sanctarum virtutum signum ministrauit. Sed quid plura? Multa quidem signorum miracula in eodem loco per eum operari dignatus est Dominus. Cùm verò septem decémque dierum orbita finiretur, legati, qui ad præfa-

præfatum Principem directi fuerant, reuersi sunt, A licentia ab eo accepta, vt licitum eis foret eum transferri, quò ipsius decreuerat voluntas, nullo eius sanctæ ordinationi resistente. Cúmque sepulchrum eius aperuissent, & putarent venerabile illius corpus ob tam prolixi temporis interuallum iam fœtere, tanta suauissimi fragrantia odoris inde manauit, quasi diuersis aromatum floribus, ac balsami guttulis omnis repleretur Ecclesia. Et cùm fratres qui ad eum visendum ex B propriâ prouinciâ aduenerant, cum his, quos secum in exilio habuerat, ablatis ab eo vestibus, cum quibus in sepulchro reconditus fuerat, mutare eas vellent, noua eum indumenta indui cupientes, veluti fecerunt, inuenerunt in brachiis eius signum Dominicæ crucis, rosei coloris similitudinem gerens, vt patenter cunctis daretur intelligi, quia cuius arma viuens portauerat in corde, eius stigmata defuncti monstrarentur in C corpore. Indutum deinde veste Pontificali, positúmque in lecticâ, prælatis ante ipsum aromatibus & incenso, susceperunt illud venerabile corpus ciues, qui aduenerant, *Rothomagenses*, monachíque cœnobij *Fontanellensis*. Sicque gestantes onus, ouantes flentésque arripiunt iter. Comitabatur etiam prædictus venerabilis *Halidulphus* Abba, cum plurima suorum frequentia monachorum, ac plebe innumerâ vtriusque sexus, cum

S

A ſanctę Crucis vexillis diuerſis, cereíſque ac lampadibus, hymnorum nihilominus, canticorúmque diuinorum carmina, in eius laudem dulci modulatione canẽtes, & in diſſonis diuerſarum linguarum Choris amorem conſonum habentes: quia vt valdè lætum erat talem habuiſſe patronum: ita ſuaue recepiſſe. Et cuius oſſa ſancta venerabiliter geſtabant in terris, in cœleſtibus eius ſibi patrocinia confidebant adeſſe. His fidelium turmis B populorum pretioſi Confeſſoris venerabile corpus ſtipatum, & canticis honoratum, vſque ad *Fontanellenſe* perlatum eſt cœnobium. *Halidulphus* tamen venerabilis Abba vnâ cum comitibus ſancti itineris, qui ſibi famulabantur vſque ad *Venittam* villam regiam, quæ ſita eſt in pago *Bellouacenſi* ſecus fluuium *Iſaram*, cum ingenti reuerentia proſecutus eſt. Cùm autem iter cœptum carpentes in villam quæ dicitur *Solemnium*, quæ C eſt poſita ſuper fluuium *Saue* in Territorio *Hannonienſi*, cauſâ hoſpitij ob prolixi itineris fatigationem, & refocillationem ſui, diuertiſſent. Ibi accurrit quidam homo filiam portans propriam, paralytico morbo membris diſſolutam, quæ nec pedibus incedere valebat, ſed quaſi mortua videbatur, clamans, magníſque precibus flendo, merita ſancti Præſulis implorans *Ansberti*, vt vnicam eius ſanaret filiam. Cúmque à miniſtris & cuſtodibus ſanctiſſimi corporis ſecus feretrum

ipſius ea permiſſa fuiſſet nocte morari, totáque A
nocte illa vigiliis ac hymnis inſiſterent diuinis,
mane facto, inuenit eam pater eius ſanam: atque ita gaudens, gratéſque omnimodas Deo ac ſancto perſoluens Præſuli *Ansberto*, cum filiâ propriâ, ouans rediit in ſua. Quàm mirabilis Deus in ſanctis ſuis, qui per famuli ſui *Ansberti* glorioſa merita huiuſcemodi fecit miraculum. Cùm ergo haberent loca denominata, ad quæ manendi gratia declinare debuiſſent, ad quandam accedentes B
villam, optabant in eâ requieſcendo venturam tranſigere noctem. Sed cùm ad eam diuertere vellent, ſanctiſſimi Præſulis venerabile corpus veluti onus ingens inter manus ferentium immobile manſit. Dein addentes maiora hominum ſolatia, ſed nihilominùs, vt priùs immobile erat. Cúmque diuinitùs hoc intellexiſſent actitari, aliámque itineris ſe conuertiſſent in partem, ilicò motu celeri, comitante virtute diuinâ, peruene- C
runt ad locum aptum, &, vt creditur, Deo ſanctóque Antiſtite dignum ad manendum. Ac ſic deinceps per cuncta pij itineris loca, tribuit omnipotens congrua ſeruis ſuis adminicula, ad famuli ſui membra deferenda. Venientes verò ad præfatam villam *Venittam*, illic affuerunt obuiam ſancti Præſulis corpori comprouinciales vrbis *Rothomagenſis* Epiſcopi, & ſanctorum cœnobiorum Patres, cum venerabili Domini Clero, pro-

A pinquíſque eiuſdem ſancti Pontificis, ac innumerabili vulgo vtriuſque ſexus, cum deuotione magna: cœperúntque ante illud ire pſallendo. Indéque *Halidulphus* venerabilis Abba, cum comitibus itineris ſui, ad propria reuertitur cœnobij habitacula. Illud quoque miraculum, quod in *Fraxundo* villa, quæ ſita eſt in pago *Bellouacenſi*, per eundem Chriſti famulum, geſtum eſt, placuit conſcriptionis ſtylo tradere. Cùm namque ad
B eandem villam eius delatum eſſet ſanctum corpus, illuc quædam mulier à propinquis catenata, quæ ſpiritu vexabatur immundo, perducta eſt. Clamabátque per obſeſſam mulierculam ſpiritus immundus: Cur introduxiſtis, inquit, in hanc prouinciam *Anſbertum* ſeruum Ieſu Chriſti Domini, qui me à propriis expellit ſedibus? Cúmque appropinquaſſet eadem mulier, & tetigiſſet pallium quo tegebatur geſtatorium, clamans voce
C magna, meritis ſancti *Anſberti* Pontificis ſtatim euomuit cum cruore ſanguinis inimicum humani generis, factúmque eſt ibi grande miraculum. At illa gratias agens omnipotenti Deo, & ſancto *Anſberto*, per quem fuerat à peſtifero ſpiritu curata, reuerſa eſt ad ſua. Benedictus Chriſtus Dominus rex omnium ſæculorum, creatórque ac conſeruator omnium Sanctorum, qui ob famuli ſui merita, talia dignatus eſt patrare miracula. In eadem denique villâ, Eccleſia in honorem ſancti

Ansberti Episcopi à fidelibus est ædificata, eiúsque grabatum in eadem Ecclesia multo tempore mansit, signáque virtutum ob merita eiusdem ibidem fiunt diuina. Cùm verò iam transirent dies viginti, & eo ampliùs venerunt, in *Rothomagense* territorium, in locum, qui dicitur *Paldriacus:* illicque cunctipotens Dominus per merita eiusdem sancti Antistitis, simile superiori dignatus est ostendere miraculum, nam mulier quædam à dæmone arrepta, à parentibus propriis, ad Sancti patrocinia quærenda, vinculis constricta perducta est. Quæ cùm peruenisset ad grabatum vbi Sancti seruabatur corpus, ac tetigisset linteum, quo operiebatur, magnas dans voces ad sidera, ilicò gratiâ Dei ac meritis sancti *Ansberti*, à dæmonio liberata ac sanissima effecta incolumis proprij iuris repedauit ad habitacula. Sit Deo nostro gloria, & honor & imperium, qui sic miraculorum signis in sancti Antistitis meritis triumphat. Hic verò locus in quo omnipotens istud fecit miraculum, erat patrimonium quorumdam illustrium virorum *Bertholdi* scilicet & *Radamasti*, distans à cœnobio *Fontanellâ* millibus quatuor. Fertur verò quia cùm inde eleuare corpus sanctissimum conarentur, ita mansit immobile, quasi clauis ac retinaculis ferreis saxo niteretur ingenti. Cúmque moueri non posset, talia possessor loci *Radamastus* intulisse dicitur: Euge

A *Ansberte* ſerue Chriſti fidelis, collocate inter agmina Chriſticolarum, memento noſtri, quos in vita dilexiſti, quóſque ſæculi impugnant gaudia. Hic iam nobis te Chriſtus reducit: idcirco hoc prædium offero omnipotenti Deo, tibique Præſul ſanctiſſime cedo per cuncta ſæculorum ſæcula. Ipſe verò *Radamaſtus* vir honoratus, eiúſque frater *Bertholdus*, cuncta quæ poſſederant in prædiis & mancipiis extemplò deſerunt, ac beato antiſtiti *Ansberto*, ſéque ſimul, cœnobio tra-
B dunt *Fontanellæ*. Sicque iugum libertatis excutiunt, ac iugum Dominicæ ſeruitutis ſubditis ceruicibus ilicò ſuſcipiunt monachicum pariter aſſumentes nomen & habitum. In præfata verò poſſeſſione eorundem virorum, ſcilicet in viâ publicâ, & lapidibus ſtratâ, quæ iuxta eam iacet, ac *Rothomagenſem* deducit ad vrbem, vbi ſanctiſſimi Pontificis *Ansberti* venerabile pauſauerat
C corpus, in honorem, & memoriam ipſius à fidelibus crux ponitur lignea, vbi infirmi à diuerſis languoribus, Domino largiente, meritis ſancti *Ansberti* plura frequenter receperunt ſanitatum munera. Vbi circa diem pauſationis ſiue aduentus eius ad eundem locum, quod eſt quinto Idus Martij, ad honorem & interceſſiones eius plebes innumeræ pia Domino ſolemniter perſoluentes vota, vigiliarum videlicet ac diuinorum hymnorum donorúmque diuerſorum, confluunt cum

deuotione summâ. Atque ibidem per merita ipsius multa assiduè fiunt miraculorum signa, quæ magnitudine sui relatoris transcendunt scientiam. Ibi enim amissio corporeæ lucis visum, ariditas gressum, ac retinacula linguæ verborum seriem, officiúmque diu negatum aurium recipit auditum, dæmonúmque frequens ab humanis corporibus fit expulsio. Redeunte autem tempore die sexto Iduum Aprilium in eodem loco, vbi sanctæ Crucis vexillum fuerat erectum, mulier quædam quæ per multa annorum curricula contracta extiterat, cum fide rectâ ad eundem pergens locum pristinæ sanitati est reddita: tellúsque, quamdiu debiles non presserant gressus, est stupefacta, se ab inualidis quondam tàm subitò contingi vestigiis. Agamus grates Deo nostro innumeras, qui propter iam dicti famuli sui merita, talia dignatur monstrare miracula. Sequenti quoque tempore in præfato loco Ecclesia est constructa, in honorem sancti *Ansberti* Præsulis, augusto & polito opere, à venerabili *Hiltberto* Abbate successore eiusdem sancti Patris in ordine regiminis. Sed his omissis ordinem translationis præfati famuli Christi, conscriptionis prosequamur stylo. Peruenientes denique cum corpore eius, qui eum transferebant ad cœnobium *Fontanellam*, intulerunt illud in Ecclesiam sancti Apostoli *Pauli*. Flebant autem senes, & iuuenes;

A flebant pueri & infantes, omnísque monachorum chorus. Postea verò accessit venerandus Abba *Hiltbertus* ad venerabile corpus, assumptis secum probatæ vitæ fratribus, ac meritò sanctitatis ornatis, æstimans illud ob tam prolixi interuallum temporis (nam dies tricesimus instabat) subitò fœtere. Cúmque sanctum illius caput velamine opertum denudassent, tantæ suauitatis fragrantia inde manauit, veluti si diuersorum aromatum ac thymiamatum odoribus vniuersa B compleretur Ecclesia. Nam & facies illius ita in ruborem erat versa, quasi in sopore esset, viuentis effigiem gerens. Multi quidem sancti Præsules, & Patres venerandi, reliquúmque vulgus contemplati sunt: quia vniuersis, qui affuerant fuit permissum hoc cernere stupendi miraculi signum. Deinde cum omni diligentiâ & timore in syndone mundâ ac pallio inuolutum eius venerabile corpus posuerunt in sepulchro, C quod eidem præparauerant in eadem Ecclesia *sancti Pauli* Apostoli, cum laudibus, iuxta sanctissimi patris *Vuandregisili* sepulchrum ad eius læuam, die quinto Iduum Martiarum, sub anno sexcentesimo nonagesimo quinto Incarnationis Domini Dei nostri Iesu Christi. Cui est honor & potestas, decus & imperium per infinita sæcula sæculorum Amen. ANGRADVS *apud* SVRIVM IX. *Februar.*

NOTÆ

NOTÆ.

P. 106. a. CLOTARIVS FILIVS CLODOVEI] *Clotarius III.* filius *Clodouei II.* cuius & fratrum Chilperici atque Theodorici regnum ab 660. ad 690. protenditur.

Ibid. ANSBERTVS] *Ausbertus*, *Austrebertus*, *Autbertus*, apud alios legitur, magis placet *Ansbertum* seu etiam *Ausbertum* appellari.

Ibid. PAGO VELOCASSINO] i. regione, vt alij vocant, *Vulcasinâ*, *Velcasinâ*. Sunt autem vt Latinè loquar cum veteribus *Velocasses* populi, vnde id regionis nomen. Positi sunt autem illi vltrâ & citrâ *Æsiam*, vnde duas quasi regiones aut populos distinximus. *Velocasses* enim vltrâ *Æsiam* nobis sunt, *Le Vexin Normand*, citrâ verò *le Vexin François*, vt *Velocassium* regio vlterior *Normanica*, citerior *Francica* significetur.

ibid. PATRIMONIO CALCEGIO] Hinc dignoscere licet vnde oriundus *Ausbertus*, à Velocassibus inquam vlterioribus an citerioribus. Sed non potest facilè constitui quænam ea sit villa Calcegia.

P. 107. c. ANGADRISINAM] Melius & accommodatius ad hodiernum vsum *Angadrisma* dicitur, quæ nimirùm suis popularibus est *Angadresme*. Nonnullis tamen *Andragisina* est. Acta eius alia non habemus quàm quæ hîc enarrantur.

P. 109. b. GVBERNATRIX EFFICITVR COENOBII, &c.] Quodnam illud fuerit, disquirit Louuetus in Antiquitatibus Bellouacensibus l. 1. c. 16. In re obscurâ nihil certi liquet. Capite autem 20. ab eo primo Cœnobio quod fuit ad muros Bellouacenses, eam in alterum cui *Oratorium* nomen transmigrasse, significat. Qui locus nunc *Oroer*, vbi parochialis Ecclesia, infrâ Decanatum (vt loquuntur) *Monciaci* siue *Montis-casi*, vt patet ex Nomenclatore Sacerdotiorum diœcesis Bellouacensis. Quin & ab altero illo Cœnobio, ad *S. Paulum*, quæ nunc superest nobilis Abbatia, concessisse ac consedisse, atque Abbatissam egisse, nonnulli affirmant, apud *Oratorium* tamen sepultam fuisse pro certo habetur. Eius sacra pignora ad *S. Michaëlem* asseruantur, quo vtroque patrono Bellouacenses gloriantur. Inscripta est eius memoria in Martyrol. Monastic. ad XXVII. Martij, in additionibus Molani ad Vsuard. ad XIIII. Octobr.

P. 110. c. SANCTI PATRIS *Lant-*

berti, &c.] Is & *Lambertus*, Lugdunensis postmodùm Episcopus, de cuius laudibus noster deinceps copiosè. Sed & Acta *SS. VVandregisili* & *Hermelandi* honorificam de illo mentionem faciunt. Ascribitur eius sedis XLIII. & successor *S. Genesij* ex eodem Cœnobio *Fontanellâ* in eandem sedem assumpti.

P. 110. a. ET GERVLVS ANVLI REGALIS, &c.] Nihil igitur certius ex fide horum Actorum, quàm *Ansbertum* Cancellarium fuisse. Acta verò habent autorem non aspernandum & bonæ fidei, de quo ad calcem harum notarum copiosiùs.

Ib. b. CVM VERO CORAM REGE, &c.] Musica mouet ad pios affectus, quod in se obseruauit Augustinus, & hic noster post multos alios insigni docet exemplo, per quod vtinam Aulici proficiant.

P. 111. a. A PALATIO *egressus nullique sodalium*, &c.] In hoc *S. Vuandregisilum* imitatus, qui aulâ insciis omnibus profugit, quod & aliis quammultis exemplis non caret. In ea tamen dignitate constitutum Regis iniussu discedere, ratum quidem & in *Ausberto* quod sciam singulare. Sed qui eorum temporum calamitates recolet haud malè consultum iudicabit, quod aliâs non esset imitandum.

Ibid. PERVENITQVE AD FONTANELLAM, &c.] In Actis S. Vuandregisili de Fontanellâ: *Contigit vt largiente* Erchinoaldo *Prefecto, immodicam soli partem* (Vuandregisilus) *acciperet, quo* Fontanellæ *Cœnobium, vnâ cum venerando nepote suo* Godone, *vt rudis habitator construeret. Quem veterum traditio, ob riuum in eo loco fluentem, hoc nomine vocitabat*, &c. Et post interiecta plura: *Est autem hoc Cœnobium situm in territorio* Rothomagensi *distans ab ipsâ vrbe millibus fermè decem & octo, porrò à fluuio magno* Sequanâ *spatio passuum circiter octingentorum.* Hodie à conditore Vuandregisilo, *S. Vandrille* dici solet.

PER VIGINTI FERE ANNORVM SPATIA, &c.] Ex Angradi nostri calculo atque autore Actorum S. Vuandregisili obitus eius ad an. 665. est conferendus. Cùm ei Cœnobio iste initium factum affirmet an. 645. Eum tamen Sigebertus ad an. 692. protrahit. Ex Actis autem *S. Vulfrani* aliter colligitur. *Vulfrani* enim obitus tribuitur an. 720. à quo post annos 9. cum *Vuandregisilo Vulfranus* translatus est à loco sepulturæ in honoratiorem, quo quidem tempore anni ab obitu *Vuandregisili* numerantur 40. vnde reliquum est obiisse *Vuandregisilum* an. 689. Tam parùm possumus ex antiquis illis monumentis proficere. P. 115. c.

P.116. b. EX TERRITORIO TERVANENSI, &c.] Id quando sæpius recurrit, & hoc dicendum *Teruanam*, *Teroanam*, *Teruennam*, *Morinorum* vrbem primariam fuisse, sede Episcopali claram, ipsámque *Morinum* dictam, sitam ad fluuium *Legiam* in *Pontiuo*, quæ auorum nostrorum ætate expugnata à *Carolo V.* & excisa est. Sequitur præclarum S. Lamberti elogium.

P.117. c. INCVRSIONE NEFANDÆ GENTIS AGARENORVM, &c.] *Agareni* qui aliàs *Saraceni*, *Mauri*, &c. Incursionem autem illam, puto, significat de qua Marianus Scotus ad ann. 730. *Saraceni collecto exercitu* Auenionem *vrbem capiunt, & circumquasque regiones deuastant*. Et Sigebertus: *Saraceni cum omnibus famulis suis quasi in* Galliis *habitaturi* Garumnam *transeunt, omnia deuastant, Ecclesias Dei cremant*. Vide alios maiorum gentium historicos. Ad eam autem vastationem non adeò multa annorum curricula. Lambertus excessit à regimine an. 676. ex Tabulis Fontanellensibus, vt videantur à condito illo Cœnobio sexaginta vel septuaginta plus minus anni ad eius vastationem excurrisse.

Ibid. ERMELANDVS.] *S. Hermelandus* seu *Ermelandus* cuius acta Surius ad xxv. Martij descripsit, quæ legisse ad huius narrationis lucem non pigebit. Britannis *S. Erbon*.

Ibid. PASCHARIO] S. Pascarius est Argentræo, nonnullis Paschasius vir magnæ pietatis. Agitur illi festus dies x. Iulij, Ferrarius in suum Catalogum eo die retulit. Vide Acta *Ermelandi*. Sedis illius xx. Antistes Roberto in Nannetensibus.

Ibid. NEMETENSIS] Omninò *Nannetensis* aut *Namnetensis*. Primùm illud ex Germanicâ officinâ quod non infrequens. Nannetes in Britannia, res notior quàm vt nos remoretur.

P.118. a. ANTRVM] Popularibus *Aindre*. Descriptionem eius qui desiderat, habet in Actis *Hermelandi*. De *Antro* vide Robertum in Abbatiis.

Ib. b. ERENBERTVS] *S. Erembertus* de quo ad xxx. April. & xiv. Maij, Fasti Heriberti Rosuueydi & Martyrolog. Monast. atque Molanus in Natal. Belgic. Eius nunc ossa in ipso Fontanellæ monasterio virtutum gloriâ pollent, vt est in Actis S. Vulfrani. Videsis etiam Robertum in *Tolosanis*, & Catelium in Historiâ Occitanâ seu Languedocica.

Ibid. SANCTVS PRESBYTER CONDEDVS, &c.] *S. Condedus* aliâs *Candidus* cui dies festus agitur xxi. Octobr. Meminit Ferrarius.

Ibid. c. DEFVNCTO IGITVR S. GENESIO] De *Genesio* iam antè nonnihil. Trithemius perperàm Bituricensem Antistitem facit.

Eius memoria die XIV. Aprilis recolitur, & meminit Ferrarius in Catalogo. Quiescit corpore B. Antistes in monasterio *Cala* agri Parisiensis.

Ibid. ET INCLYTVS PRINCEPS *Pipinus Ansegisi filius*, &c.] Hæc non admodùm benè cohærent cum reliqua narrationis serie, sed perturbatam temporis rationem hic iterùm non sollicitamus. Quod autem *Pipinus* fertur *S. Vuandregisili* consobrinus res ita habet. *Ansegiso* patri *Pipini* frater fuit *Vualchisus*, qui in Actis *Vuandregisili Vualtchisus*, pater ipsius *Vuandregisili*, adeóque *Pipinus* & *Vuandregisilus* patrueles. Sigebertus an. 691. *S. Vuandregisilus, qui & Vuando, Ansegisi Maioris-domus ex Vualchiso fratre nepos, hoc tempore claruit.*

P. 119. b. POST RECESSVM S. PONT. LANTBERTI] Ad an. 676. vt colligitur ex Tabulis *Fontanellensibus*, quæ initium regiminis *S. Ansberti* ad eum ann. notant.

Ibid. B. ANSBERTVM *sibi elegerunt*, &c.] pro voto *S. Audoëni* de quo iuuat recolere quæ in Actis eius memorantur.

P. 123. a. NAM CONFESSOR ILLIVS ERAT, &c.] Id est expiandæ conscientiæ operam ministrabat. Ita licet ex Cancellario Confessarium, vt nunc quidem loquimur, animaduertere.

Ibid. c. IN EODEM PALATIO A S. LAMBERTO, &c.] Consecratum in palatio Episcopum non facilè, credo, alibi leges. Lambertus in comitatu Regis ex causâ generalis placiti, sed eius prætereà placiti qui meminerit haud satis scio.

P. 127. b. PRIVILEGII SVI AVTORITATEM EDIDIT, &c.] De Priuilegio Marculphus in Formulis ab initio, & ad Marculphum Bignonius. Hoc verò *Ansbertus* edidisse videtur ad exemplar *Sandionysiani*, de quo supra, & *Corbeiensis*; de quibus Sirmondus tom. I. Conciliorum Galliæ.

P. 128. a. FACTA EST AVTEM *huius Priuilegij autoritas sub anno*, &c.] Anno Christi 682. conuenit quidem Indictio decima, sed quæ præterea repugnent iam antè subindicauimus, & postea dicemus.

Ibid. REGIS THEODORICI *tertius decimus*] Imo decimus-sextus vt constat ex calculo quem sæpius iniuimus.

Ibid. PONTIF ANNVS QVINTVS, &c.] Nec hic annus dissentit ab ann. Christi, si *Ansbertus* sedem iniit an. 677. quo fertur *Audoënus* obiisse. Sed semper anxium me habet difficultas quam in Andoëno attigi. Quin & alteri calculo præter Regum annos reliqua omnia se facilè accommodant.

Ibid. IN SYNODO GENERALI, &c.] Eam Sirmondus, nostri huius autoritate solâ, nixus, describit, tom. I. ad prædictum

Christi annum, Sede Apostolica post *Agathonis* Papæ obitum vacante.

Ibid. ARCHIEPISCOPVS VRBIS ROTHOMAG. &c.] Apud Sirmondum *Episcopus* pro illius ætatis more qui constat ex aliis omnibus monumentis.

Ibid. AIRARDVS CARNOTENÆ, &c.] Robertus in Carnotens. ad XXXIV. eius Sedis Antistitum, meminit.

Ibid. c. ANSOALDVS PICTAVENSIS, &c.] Et huius meminit Robertus in Pictauensibus, ab eoque numeratur XXXVII. eiusdem Sedis.

Ibid. AQVILINVS EBROICINÆ, &c.] *S. Aquilinus*, de quo Maurolycus in Martyrol. Molanus ad Vsuardum, & Ferrarius ad diem XVIII. Iul. Festum tamen illi agitur in sua Cathedrali XV. Februar. Surius Acta eius habet ad XIX. Octobr. Ex hoc refellendus venit Vossius, qui *S. Audoëno Aquilini* vitam dicatam esse vult. Sed hæc præter institutum nostrum, in quæ non vacat diligentius inquirere. Vid. Robertum in XI. Ebroicens.

Ibid. SALVIVS EPISCOPVS] Is ni fallor, de quo iam supra in *Audoëno* frustrà solliciti fuimus.

Ibid. GEREBALDVS BAIOCASSINÆ] Eius Sedis X. apud Robertum, vbi scribitur *Gerboldus* vel *Guiboldus*, apud alios etiam *Gerebodus* & *Gerebardus*, ascriptus Sanctis Confessoribus ad VII. Decembr. à Molano, Galesinio, Ferrario & aliis.

ANNOBERTVS SAGIENSIS, &c.] *S. Alnobertus* & *Annubertus* XIV. eius sedis apud Robertum, cuius memoria recolitur ad XVI. Maij atque XV. Iunij Molano, Galesinio, Ferrario, & aliis. Ibid.

De aliis Episcopis quorum sedes non ascribitur, sicut nec de Abbatibus ac reliquis qui sequuntur, operæ pretium fuerit inquirere.

VENERABILE S AVDOENI CORPVS, &c.] Si series narrationi constat, non ergò *Ansberti* anno quarto, quod Scriptor Actorum *Audoëni* affirmat, ea translatio peracta est, cùm iam ab anno quinto Synodum prædictam celebrauerit. Sed de illius translationis circumstantiis, relegenda ipsius *Audoëni* Acta & his conferenda. P. 129. b

DECEDENTE ENIM DE ORDINE PRINCIPATVS VVARATONE, &c.] Ex iis hæc requirenda, quæ ad Audoëni Acta notauimus. P. 132. b.


DEPORTATVR IN ALTVMMONTEM, &c.] *Altus mons* seu *Mons-altus*, vt aliis placet, Cœnobium à *S. Vincentio*, ad *Sambram* siue *Sabim*, in *Hanoniâ*, conditum, de quo videndi Baldricus in Chronico Cameracensi, Miræus in Origin. Benedictinis, Robertus in Abbatiis, Haræus in Annalibus Brabantiæ. Distat à *Malbodio* (*Mau-* Ibid.

beuge) *Hannoniæ* municipio satis frequenti, & Collegio sacrarum Virginum clarissimo ad mille tantùm passus. Nobis est *Aumont*, vel vt alij scribere malunt *Hautmont*, aut etiam *Omont*.

P.135. a. DIE ENIM QVINTO IDVVM, &c.] At de anno reticet, narrationis series & calculus, quem iniit non multùm vltrà 690. processisse indicat. At ex Actis *S. Vulfrani* longè alius colligitur. *Vulfranus* enim obiit an. Christi 720. conditus in *Fontanellâ* cum *SS. Vuandregisilo* & *Ansberto*, vbi ad 9. annos quieuit, post quos cum iisdem in aliam basilicam translatus, tum autem Ansbertus eodem loco per annos vndecim quieuerat, vnde sequitur obiisse an. 718. quod benè faciet ad alterum calculum, quē in *Audoëno* significauimus.

P.143. c. INTVLERVNT ILLVD IN ECCLESIAM S. APOSTOLI PAVLI, &c.] Fidem faciunt Acta *S. Vulfrani*, quæ & de illius translatione digna continent quæ hîc ascribantur: *Obiit* (S. Vulfranus) XIII. *Calend. April. die, anno D. Incarn.* 720. *Sepultúsque est, primo quidem in Ecclesia* B. Pauli *Apostoli iuxta sacerdotem Domini* Vuandregisilum *in dextrâ parte, in quo loco iacuit per annos 9. Sanctus quoque* Vuādregisilus *requieuit in eadem basilica annis 40.* Ansbertus XI. *Translati quoque sunt inde in basilicam* B. Petri *Apostoli à* S. Baino *Episcopo vrbis* Taruanæ, *& rectore* Fontanellensis *Cœnobij sub anno regiminis sui quinto, qui erat annus ab Incarn. Dom. 729. Qui ita integri ab omni corruptione cum vestimentis quibus induti fuerant, reperti sunt, quasi eodem die sepulturæ fuissent traditi.* Ex tabulis tamen *Fontanellensibus* annus quintus S. Baini colligitur C. 704. vnde fieret obiisse *Vulfranum* an. 695. *Ansbertum* verò 693. Quod per hanc occasionem indictum nolui.

ANGRADVS] Sirmondo *Aigradus*. De illo Vossius in h.mod. *Angradus monachus scripsit Vitam* S. Asberti *Episcopi* Rothomagensis *qui anno vixit 685. vt eâ in vitâ legitur. Dedicauit illam* Hilberto *Abbati* Fontenallensi: *vnde alius fortasse de ætate certi aliud dispiciet. Habes apud Surium tom. 1. ad d. IX. Februarij.* Et quidem de ætate Aigradi docent nos eius monasterij Tabulæ. Duo eiusdem nominis Abbates ei Cœnobio præfuerunt *Hilberti* seu *Hileberti*, aut etiam *Hildeberti* nomine. Primus ipsius *S. Ansberti* proximus successor, ad quem *Angradus* non potest videri scripsisse, vt ex iis colligitur quæ de monasterio in *Prouincia* memorat, tum ex aliis pluribus. Alter ad an. 815. Abbatem egit, nec vltra 820. processit, & huic haud dubiè *Aigradus* hoc opus suum inscripsit, vt iam frustra de illius ætate dubitetur. P.144. c.



S. GODEGRANDVS METENSIS EPISCOPVS,

sub fortissimo Principe

CAROLO MARTELLO

& sapientissimo Rege

PIPINO.



OST *Sigibaldum*, vir egregius & A
omnibus præconiis efferẽdus *Chrodegangus* Antistes *Metensium* eligitur, ex pago *Hasbaniensi* oriundus, patre *Sigrammo*, matre *Landrada* *Francorum* ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in palatio maioris *Karoli* ab ipso enutritus, eiusdémque Referendarius extitit, ac demùm *Pipini* Regis temporibus Pontificale decus B
promeruit. Fuit autem omninò clarissimus, omnique nobilitate coruscus, formâ decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quàm etiam Latino sermone imbutus, seruorum Dei nutritor,

A orphanorum viduarúmque non ſolùm altor, ſed & clementiſſimus tutor. Cúmque eſſet in omnibus locuples, à *Pippino* Rege omnique *Francorum* cœtu ſingulariter electus Romam directus eſt, *Stephanúmque* venerabilem Papam, vt cunctorum vota anhelabant, ad *Gallias* euocauit. Hic Clerum adunauit, & ad inſtar Cœnobij intra clauſtrorum ſepta conuerſari fecit, normámque eis inſtituit qualiter in Eccleſiâ militare deberent: quibus an-
B nonas vitæque ſubſidia ſufficienter largitus eſt, vt perituris vacare negotiis non indigentes, diuinis ſolummodò officiis excubarent. Ipſúmque Clerum abundanter lege diuina *Romanáque* imbutum cantilenâ, morem atque ordinem *Romanæ* Eccleſiæ ſeruare præcepit, quod vſque ad id tempus in *Metenſi* Eccleſiâ factum minimè fuit. Hic fabricare iuſſit, vna cum adiutorio *Pipini* Regis ſedem Sancti *Stephani* protomartyris & altare
C ipſius atque cancellos, preſbyterium arcúſque per gyrum. Similiter & in Eccleſia *B. Petri* maiore preſbyterium fieri iuſſit. Conſtruxit etiam ambonem auro argentóque decoratum, & arcus per gyrum throni ante ipſum altare. Ædificauit præterea Monaſterium in parochiâ *B. Stephani*, in pago *Moſellenſi*, in honore *Beatiſſimi Petri* Apoſtoli, & ditauit illud opibus magnis, monachóſque ibi conſtituit, atque ſub regula S. Patris *Benedicti* in vna charitate coniunxit. Conſtruxit etiam alterum

alterum monasterium, quod *Gorzia* vocitatur, vbi A
pari modo non modicam multitudinem adunauit monachorum. Expetiit denique à *Paulo* Romano Pontifice tria corpora Sanctorum Martyrum, id est Beati *Gorgonij* quod in *Gorzia* requiescit, & Beati *Naboris* quod in *Hilariaco* monasterio conditum est, Beati *Nazarij* quod vltra fluuium *Rhenum* in monasterio quod vocatur *Lorisaim*, ædificatâ in honorem ipsius martyris miri decoris basilicâ, collocauit. Hoc siquidem præ- B
dium *Chillisnindis* quondam religiosa femina & *Cancro* eius filius, eidem *Chrodegando* Antistiti, ad partem *B. Stephani*, tradiderant. Fuit siquidem beatus iste vir in eleemosynis largus, in charitate purissimus, susceptor hospitum atque peregrinorum. Sed quoniam longum est bona quæ gessit ex ordine retexere, satis sit hæc pauca prælibasse de plurimis. Hic consecrauit Episcopos quamplurimos per diuersas ciuitates, Presbyte- C
ros nihilominus ac Diaconos, cæterósque Ecclesiasticos ordines, sicut moris est *Romanæ* Ecclesiæ, in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni. Rexit Ecclesiam *Mettensem* annis viginti tribus, mensibus quinque, diebus quinque. Obiit pridie Nonas Martias in diebus *Pipini* Regis, requiescit in *Gorzia* monasterio quod ipse à fundamentis extruxit. PAVLVS VVARNEFRIDVS *libro de Episcopis Metensis Ecclesiæ.*

NOTÆ.

P. 151. a. POst Sigibaldvm, &c.] Insignis eius laus apud *Vuarnefridum*. Conditor fuit duorum monasteriorum, *Elanaci* seu *Noua-cellæ*, & *Noua-villæ*. Pro priori Robertus *Claustriacum* legit, quod perperàm, si non ipse fallor, habet. *Sigibaldus* post sedem annorum 25. obiit 7. Calend. Nouemb. sepultus ad S. Symphoriani.

Ibid. Chrodegangvs] Mirè variatum in huius nomine. Sigeberto ad an. 764. *Chrodogandus*, sicut & Vincentio Bellouacensi Sigeberti exscriptori. Lamberto Schafnaburg. ad an. 765. *Ruotgangus*, seu *Rutgangus*, & ita quidem Chronicon Laurishamense: Mariano Scoto ad eund. ann. *Ruggandus*, vt & Trithemio de Scriptoribus Germaniæ. In diplomate *Caroli Martelli* pro Dionysianis *Crothgangus*. Iam nunc nobis *Godegrandus* aut *Godograndus*, quod in aliis plerisque vsu venit. Apud Roserium etiam *Gundegrannus*.

Ibid. Ex pago Hasbaniensi] *Hasbania* regio *Brabantiæ* sub ditione *Leodiensi*, quæ indigenis *Haspengouu*, Gallis nostris *Hasbay*. Olim quatuor Comitatus fuêre, ait Miræus. Caput eius est fanum *S. Trudonis*, vulgò *S. Truon*. Hinc ortum duxit stirps Carolina Regum nostrorum per *Pipinum* Ducem *Brabantiæ*.

Matre Landrada] Sigebertus ad ann. 758. *Crodogandus Metensium Episcopus Pipini Regis ex* Landrada *sorore nepos*. Atque similiter ex eo alij, sed falsò. *Landrada* soror *Pipini Crassi*, qui & *Heristellius*, non *Pipini* Regis. Res benè conueniet, si particula *Regis*, quæ adiectitia est, expungatur. Consule Genealogicon Reusneri. Ex eâdem domo *Landrada* virgo & Abbatissa, cuius vitam *Theodorico* Abbate autore descripsit Surius ad diem 8. Iulij, quæ illi festiua est. Nec improbabile videtur sororem illam fuisse nostri *Godegrandi*, cùm *Pipini* etiam neptis esse dicatur, adeóque nomen matris retulisse credi possit. Ibid.

Maioris Caroli] De *Martello* intelligit, vt qui ætate *Caroli* Regis cognomento Magni, quod postmodùm adeptus est, scriberet. Ita enim alij eius æui scriptores. Et quidem *Godegrandus Martelli* consobrinus fuit, hoc est amitæ filius. tantum abest vt ipsius *Caroli* filius sit, quod Lazio visum est. Ibid.

Referendarivs exti- Ibid

TIT] Cancellarius fuit, qua de re separatim agendum habemus.

P.152. a. A PIPINO REGE OMNIQVE FRANCORVM,&c.] Chronicon Laurishamense, quod Freherus edidit, de Rutgango nostro, *qui inter cætera valdè memorabilia Stephanum Papam ad Galliam euocans, & Pipinum cum totis Francorum viribus contra Longobardorum tyrannidem accingens, exarchatum Rauennatem, pluráque B. Petri patrimonia Romanæ Sedi restitui ingẽ studium & operam impendit.* Missus autem Pipini apud Anastasium Biblioth. *Rodigangus* Abbas, prout & Baronius exscripsit ad ann. 753. Sed rem Vuarnefridus noster & Chronicon Laurisham. luculenter & disertè supra reliquos exprimunt. Quod autem ab Anastasio Abbas tantùm dicitur, videri potest pro illo tempore non fuisse Episcopus: & fauet quidem Vuarnefridus noster, qui eum Pontificale decus Pipini Regis temporibus promeruisse scribit, at verò tempus Sedis repugnat, annos enim XXIII. sedisse Vuarnefridus & Chronicon Ecclesiæ Metensis consentiunt, atque insuper Vuarnefridus Pipino Regi præmortuum affirmat, quod & Chronicon Laurishamense subindicat: Pipinus autem annos solùm XVI. sedit, quî ergo fieri possit, vt Pipino iam regnante factus Episcopus, & ei præmortuus fuerit, qui annos XXIII. sedit? In Chronico certè Laurishamensi Archiepiscopus & Abbas inscribitur. Sed de his viderint eruditiores.

HIC CLERVM ADVNAVIT, &c.] Chronicon Laurishamense, *Clerum* quoque suæ diocesis à religionis feruore iam tunc (vt & nunc) omnimodis exorbitantem, instar Cœnobiorum adunans, regularia eis præcepta qualiter in Ecclesia militare deberent, vitæque necessaria sufficienter instituit. Planè Trithemius Regulam scripsisse tradit, & hanc noster Vuarnefridus continuò Normam, Chronicon Laurishamense Regularia præcepta indigetat. Ibid.

ROMANAQVE IMBVTVM CANTILENA, &c.] Cantilena, cantus, canendi modus & ratio. Sigebertus ad ann. 790. *Carolus Rex honestati Ecclesiasticæ ominò intentus legendi & psallendi disciplinam diligenter correxit. Perpendens enim iterum Gallos à Romanis in cantando discrepare, Metenses verò sola naturæ leuitate paululum quid dissonare, per cantores rursus sibi ab Adriano Papa Roma directos, dissonantiam cantus correxit.* Ergo *Metenses* priùs imbuti Romana cantus disciplina, sed à qua *Caroli* ætate iam Ibid.

deflexerant, eos autem à principio *Chrodegandus* noster ita instituerat. Relegenda Capitularia Caroli Magni.

Ibid. SEDEM S. STEPHANI, &c.] Accommodatè ad hodiernum vsum quæ hîc de fabricâ Cathedralis Ecclesiæ S. Stephano dicatæ narrantur à Francisco Roserio efferuntur his verbis: *Chorum & sacrarium Ecclesiæ Metensis struxit.* Sic etiam infrâ Presbyterium pro Choro. Sed his non insistimus, vt quibus aliud est propositum.

Ibid. *ε.* IN ECCLESIA B. PETRI MAIORE, &c.] Plures *Metis* Ecclesiæ B. Petri nomen retinent, Parochialis vna est, altera Veteris-Monasterij, vt vocant, ad Cathedralem, tertia monasterij alterius quod olim arce inclusum. Non liquet mihi de quâ hîc sermo sit, Roserius confundit cum B. Petri Monasterio, de quo continenter Vuarnefridus, sed distinctè, vt satis apparet, ab ea Ecclesia quæ in præsens maior dicitur.

Ibid. ÆDIFICAVIT PRÆTEREA MONASTERIVM, &c.] Ergo aliud à prædicta maiore basilica. Et quidem vnum ex his duobus quæ modò commemorauimus. De illo certè Roserius in h. m. *Dotauit monasterium, fratrésque in eo constituit, in quo postmodùm Moniales Deo cultum exhibuerunt.* At verò vtrumque illud de quo diximus iam nunc feminarum est.

GORZIA VOCITATVR, &c.] *Id Cœnobium olim vir magni nominis, Pipini Regis ex sorore nepos, Crodegandus Metensis Episcopus construxit, & ad æternum sanctitatis suæ monimentum opibus ditauit, &, quod maius est, religionis gratia decorauit*, ait Sigebertus in Vita *S. Guiberti* Abbatis Gemblacensis, quam habet Surius ad XXIII. Maij, vbi eius per *Aldaberonem* & ipsum Metensem Episcopum restaurationem latè persequitur. Similiter & Reginardus in Vita *S. Annonis Coloniensis* ad IV. Decembr. Sed de Gorzia, ex antiquioribus Contractus, Schafnaburg. Marianus Scotus, Sigebertus, Baldricus, & alij obiter, ex recentioribus & copiosè meminerunt Antonius de Yepez Chronici Benedictini Centuria III. ad ann. Christi 758. Roserius, Robertus, Miræus, & alij plerique. *P.153. a.*

A PAVLO ROMANO, &c.] S. Paulus eius nominis I. sedit ab ann. 757. ad 767. Translationem sacrorum pignorum confert Sigebertus in ann. 764. Contractus in 13. Pipini Regis qui 765. paritérque Schafnaburg. & Marianus Scotus, adeò certum est à S. Paulo Pontif. sacra hæc pignora fuisse impetrata, quod pro magno antiquiores illi celebrant, tantùm *Ibid.*

Christiana pietas inualuerat. In Chronico Laurishamensi ea translatio pensiculatè describitur, omninóque iuuat rem ex eo repetere. *Mißis*, ait, *ad Apostolicam Sedem Legatis, pro cuius liberatione ab oppressione.* Haistulfi *regis* Longobardorum *multa instantia laborauerat, expetiuit* (Godegrandus) à Paulo *Papa corpora Sanctorum Martyrum, in quorum honore constructas à se monasteriorum consecraret Ecclesias. Cuius deuotionem ac meritum erga Romanam Ecclesiam Apostolicus Pontifex debito fauore prosequens, transmisit ei Sanctos* Nazarium, Naborem *&* Gorgonium, *per* Vuilliharium Sedunensem *Episcopum delatos ad* Gorziense *monasterium. Euoluto dehinc anni circulo in Ecclesia* Gorziensi *Sanctum* Gorgonium, *in Ecclesia* Hilariacensi *Sanctum* Naborem *collocauit, beatum verò* Nazarium *ad* Laureshamense *monasterium destinauit. In cuius occursum tota simul Prouincia, plebsque vtriusque sexus, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, vsque ad saltum qui Vogosus dicitur, caternatim ruunt: Comitésque nobilissimi* Cancor & Vuarinus, *cæterique id locorum illustres & spectabiles viri thesaurum beati corporis sibi destinatum propriis humeris excipiunt, & cum hymnis canticisque spiritualibus, prosequente infinita multitudine vsque ad locum cælitus prouisum deferunt.*

B. NABORIS IN HILARIACO, &c.] S. Naboris Cœnobium nunc tantum audit, quod à primo conditore *S. Fridolino* (cuius quidem ni fallor ea est qualiscunque historia quam Goldastus in Alemannicis describit) *Hilariacum* & *Noua-cella* dictum fuit. Et hinc corrigenda credo quæ in antecessum de Sigibaldo diximus, si verum est quod nonnulli affirmant *Noua-cellæ* non conditorem, sed restauratorem fuisse. Sic enim pro eo quod legimus apud Vuarnefridum *Elanacum*, & apud Robertum *Claustriacum*, quam optimè habebit, si *Hilariacum* legamus. Cæterùm de S. Naboris Cœnobio releg. Gaspar Bruschius de monasteriis Germaniæ, Antonius Yepez Chron. Benedict. cent. 3. ad an. C. 765. Miræus in Originibus Benedictinis, Robertus in Abbatiis Galliarum. De translato autem illuc Nazario hi versus extant in Laurishamensi Ecclesia. *Ibid.*

Martyris egregij contentas cerne Naboris
Relliquias tumbâ hac præclaro stemmate nati,
Quem quia sacra Ioui nollet deferre profano,
Verberibus diris collisum Maximianus
Cælicolis addens testem necat

ense cruento.
Ast tandem nutu Tyberinæ Sedis alumni
Mirificè nostras duxit Crodegandus ad ædes,
Quem Mediomatrica pastorem Ecclesia habebat
Secula bissenis septem superaddita lustris
Necnon Olympiadi, quando peramœna saluti,
Tempora signarent nostra pergrataque semper.

Annus autem omninò hîc designatur 764. quem Sigebertus adnotauit.

Ibid. QVOD VOCATVR LORISAIM, &c.] Al. Lorisheym, Lorishaim, Latinis *Laurissa*, & Laureacum, vt nonnullis placet, de cuius rebus extat Chronicon à Marquardo Frehero publicatum, & illud quidem optimæ notę, & ad tempora Alexandri III. Pontif. perductum. Trithemius sæpè meminit in vtroque Chronico Hirsaugiensi & Spanheimensi, atque ex hoc fragmentum ineditum Freherus profert in Appendice ad ipsum Laurishamense Chronicon. Hos fontes qui adire potest frustra riuulos consectetur, autores dico qui de Laurissa ex occasione scripserunt.

Ibid. CHILLISNINDIS QVONDAM RELIG. &c.] In Chronico Laurishamensi *Vuillisuuinda* vidua *Ruperti* Comitis (Rhenensis) quæ seipsam in donationis instrumento Deo sacratam profitetur.

ET CANCRO, &c.] *Cancor* in Laurishamensi Chronico, Sigeberto *Canthur* ad ann. 764. De illo plura in eodem Chronico. Ibid.

LONGVM EST BONA QVÆ GESSIT, &c.] Ad eius rei fidem vel hoc obserua ex Roserio: *Tempore Magdalnei Episcopi, Virdunensis Ecclesia cum documentis & Ecclesiastica gaza exarsit, ad cuius restaurationem Gondegrannus Metensis, & Jacob Tullensis Antistites ingentem numorum copiam impenderunt.* Elogium ex Chronico Laurishamensi non prætermittendum: *Vir egregius meritique incomparabilis, & omnibus efferendus praconiis* (Godegrandus). Ibid.


REXIT ECCLES. METENS. ANN. &c.] Tempus non indicat Chronicon Laurishamense, videtur tamen non frustra ex eo colligi ad an. 776. peruenisse, quod cum tempore Sedis, si ab initio regnantis Pipini computetur, exactè conuenit. Sin minus, qui nos scrupulus premat, iam antè dictum est. Ibid.

OBIIT PRIDIE NON. MART.] Molanus eodem die in additionibus ad Vsuardum: *Metis S. Godegrandi Archiepiscopi & Confessoris.* Vide Ibid.

eundem in Natalibus SS. Belgij, Miræum in Fastis, Ferrarium in Catalogo SS. qui desiderantur in Martyrologio Romano, Robertum in Metens.


37. Dicitur autem Archiepiscopus, vt & supra, non ob Sedis prærogatiuam, sed propter natalium dignitatem, quod in aliis quoque animaduerto: sic nunc Archiduces dici solent, qui ab Imp. familia genus ducunt. Floruit ad hoc etiam tempus alter *Godegrandus Sagiensis* in Neustriâ Episcopus, ab hoc nostro longe diuersus, cuius memoria die III. Septembr. recolitur, meminerunt hi quos modò laudabamus.





DE CANCELLARII NOMINE, OFFICIO ET DIGNITATE,

SCHEDIASMA.



CANCELLARII nomen quod hodiè peramplum ac penè auguſtum eſt, paulatim in eam ſuccreuit magnitudinem. Ab initio enim vox ea vſurpata de iis qui ad Cancellos miniſterium ſuum exhiberent. Erant autem Cancelli ſepta quædam reticulata, quibus aditus in ſecreta prohibebatur. Græci καγκέλλους etiam & κάγκελλα quin & καγκελλοθύρια dixerunt, in genere quidem de quibuſcunque repagulis, foribus & ſeptis, vt curriculorum quoque carceres, τὰ τῶν δρομέων ἀφετήρια, eo nomine ſignificarent, propriè autem de conſepto fori iudicialis, atque ita Cancellos interpretantur τὴν τοῦ δικαστηρίου θύραν, quos aliâs communiter exponunt κιγκλίδας, δρυφάκτους, θύρας δικτυωτάς

δικτυωτὰς διαφανεῖς, & ſi quid eſt huiuſmodi. Quod quidem non eſt inſolens apud Latinos. Nam & Caſſiodorus *lucidas fores, clauſtra patentia, feneſtratas ianuas*, pro cancellis accipit. Miniſtri qui pro cancellis ſtabant, Cancellarij dicti, ſicut qui velis adducendis reducendíſque operam ſuam ponebant, Velarij dicebantur. Sed cùm ad Principes & Magiſtratus pertineret, vt vela quidem in primo aditu, deinde cancellos ad turbam ſummouendam haberent, ij quoque propriè Cancellarij nominati ſunt, qui apud Principes & Magiſtratus eo miniſterio fungerentur. Ita licet ſæpiùs legere Cancellarios Palatij, Patriciorum, Iudicum. A principio igitur Cancellarij nomen nullius dignitatis, ac ne muneris quidem publici, ſed miniſterij tantùm, quod in *Cod. tit. de Aſſeſſoribus*, & alibi, frequenter occurrit. Nec aliud quidem illud miniſterium, quàm quod hodie præſtant, qui nobis *Huiſſiers*, hoc eſt, oſtiarij dicuntur, quod nemo non intelligit. Quanquam ex quo Cancellarij nomen cœpit exſplendeſcere, fuerint qui ad Cauſidicos transferri poſſe crediderint. Sed licet illi ad cancellos oraturi ſubſiſtãt, non hoc tamen agunt quod Cancellariorum fuit. At verò de nomine controuertitur, ex quo primùm cœperit vſurpari, plerique omnes ſub Vopiſci ætatem, aut non multo antè factum volunt, eo potiſſimùm argumento, quod ex antiquiori-

bus nemo ea voce vſus reperiatur. Et apud hunc quidem locus eſt, qui non ſolùm nomen ipſum exprimit, ſed ſatis ſignificat nullius tum dignitatis fuiſſe Cancellarios. De Carino enim ſcribens: *Præfectum Vrbi*, ait, *vnum ex Cancellariis ſuis fecit, quo fœdius nil nec cogitari potuit aliquando, nec dici.* Non deſunt tamen qui aliter legant, ſcriptúmque contendant *vnum ex Ancillariis ſuis*, adeóque nec ab illo tempore huius vocis vſum repetant. Quos vtroſque longè reiiciunt, qui ab omni antiquitate non minus cognitum illud nomen, quàm cancellos in vſu fuiſſe, ac ipſum munus miniſteriúmque viguiſſe affirmant, niſî etiam Tertulliani autoritate in Scorpiaco, qui ſcribit; *Quas mihi poteſtates ianitrices affirmas iuxta Romanam ſuperſtitionem, Carnam quandam & Forculum & Limentinum? quas à cancellis ordinas poteſtates?* Verùm, vt Tertullianus & alij *à cancellis*, ſiue *ad cancellos* eadem ſignificatione dixerint, quâ poſteriores, Cancellarios; non perinde ſequitur ex tunc eius vocis notitiam & vſum obtinuiſſe, imò qui dixerit aut ignotam aut non probatam ab antiquioribus, non minùs conſequenter eo ipſo argumento illud conficiet. Poſtquàm autem exſplendeſcere nomen Cancellarij cœpit, dubitatum eſt ſi non alia illi origo eſſet quàm à cancellis. Certè non pauci eruditi à cancellando deductum magis probant. Verùm qui ſunt in eâ ſententiâ mihi

videntur restrictiùs loqui, & ad sensum infimæ vetustatis autorum, quibus Cancellarij fuerunt Scribę, Dictatores, & quos nunc Secretarios vocamus. Hi, quòd nonnunquam instrumenta & scripta, vel quòd non ritè concepta vel non accepta Principi essent, tractis decussatim lineis inducebant, aut scapello cancellatim traiiciebant atque conscindebant, inde nomen accepisse visi sunt. Id enim cancellare vno verbo dicebant. In eo sensu loquutus S. Bernardus, multò aliter tamen de illius vocis origine scribit. *Aiunt cancellos angustiores esse fenestras* (inquit ille) *quales vtique hi qui libros describunt aptare sibi solent, ad recipiendum lumen paginis. Vnde & puto Cancellarios eos appellari, qui chartis conscribendis ex officio deputantur.* Atque hæc postrema interpretatio ad primam magis facit, quantum est ad vocis originationem, quantum verò ad significationem id iam nunc videndum est. Non dubium sanè quin cum tempore mutauerit. Nam ab ætate Cassiodori & deinceps Cancellarij dicti sunt, qui vota supplicésque libellos ad Principem referrent, & responsa eius acciperent, redderéntque. Consistebant illi tanquam consilij participes intra cancellos, & inde responsa dabant; cùm priùs ministri quos diximus, intra velum & cancellos stationem suam haberent. Itaque non Cancellariis aucta dignitas tantùm, quod plerique scribunt, sed institutum

planè aliud munus & officium, nec minus ab illo diuersum, quàm hodiè supplicibus libellis Præfectorum munus ab Ostiariorum ministerio differt. Quanquam videri potest dictus aliquando Cancellarius, tum maximè Cassiodori ætate, qui nobis est *Le grand Huissier*, quasi maiorem Ostiarium siue Ostiariorum Præfectum diceremus, cui quidem aucta fuerit dignitas, quòd dandis accipiendisque responsis adhibitus fuerit, cui postmodùm adiuncti alij eiusdem muneris participes, qui cùm & ipsi dicti essent Cancellarij, summus ille Cancellarius appellari cœpit. Sic nimirum & apud Græcos Καγκελλάριοι & Πρωτοκαγκελλάριος, de quibus in *Nouellis*. Denique abrogato Cancellariorum nomine adiuuis illis seu Collegis, vni summo & supremo inter illos singulare mansit, quod hodiè vsus penè per omnes Christianas gentes comprobauit. Interim verò & aliis pluribus Cancellariorum nomen fuit commune, qui enim Iudicum, Patriciorum &c. iudicata excipiebant, & responsa dabant, etiam Cancellarij appellati sunt. Nec alij quidem illi, quàm qui postea Graphiones, nobis *Greffiers*, &c. nominati sunt. Quin & aliquando, Scribæ & Notarij omnes vt Cancellarij nominarentur obtinuit. Quod factum καταχρηστικῶς, nam hi soli qui Principum & Magistratuum cancellos agebant, propriè Cancellarij, quanquam & ipsi se Notarios nonnun-

quam inſcribebant, quod conſtat ex antiquis Regum noſtrorum & aliorum Principum diplomatibus. Notarij tamen *Nouell.* x. Conſtantini Porphyrogenitæ à Cancellariis diſtinguuntur, atque hi digniores ſignificantur. Ex quo autem Cancellarij nomen cœpit eſſe ſingulare, illi ipſi Secretarij dicti ſunt non alienâ ſignificatione à priori. Secreta enim tàm Principum quàm Magiſtratuum, erant loca in quibus conueniebant rerum tractandarum causâ, eáque ipſa quæ cancellis circumſcribebantur. Apud Eccleſiaſticos Scriptores frequentiùs Secretaria dicuntur, quod notum ex antiquis præſertim Conciliis. Sed res Eccleſiaſticas in præſens non attingimus. Non ſoli autem, qui nunc nobis Secretarij, veniunt intelligendi antiquo Cancellariorum nomine, ſed etiam qui libellorum ſupplicum Magiſtri vocantur. De quorum diſtinctione alij viderint, hodiernis certè moribus notiſſima eſt. Quamdiu autem Cancellariorum nomen viguit his illiſque ſeu porrò aliis commune, qui nunc ſimpliciter Cancellarius, non tantùm ſummus Cancellarius, quod antè meminimus, dicebatur, ſed cum alio etiam adiuncto, vt puta, Regis Cancellarius, dignitatis regiæ Cancellarius, vt conſtat ex Antiquis Regum noſtrorum chartis, quarum plures ab Audoëno in hunc modum ſubſcriptas Tabularium Sandionyſianum præbet; ſed & Archican-

cellarius posteà nominatus est, quod nomen præcipuè in Germanico Imperio inualuit, vt hodiéque illud Archiepiscopi Electores retineant. Eo sensu plerunque legas diplomata subscripta. N. Cancellarius ad vicem N. Archicancellarij recognouit, & similia. Hincmarus Rhemensis summum Cancellarium Asecretis olim appellatum scribit, quanquam de Hincmari autoritate à recentioribus dubitari cœpit. Certè Græci eam apud Latinos dignitatem agnouerunt, quâ de re Meursius in Ασηκρῆτις. At verò Regibus nostris nondum Christianis, qui nunc Cancellarius, is summus Consiliarius dicebatur, quod & longiùs posteâ in vsu fuit, vt eruditi iam antè obseruarunt, & eius quidem rei nonnulla vestigia ex Actis quæ heîc descripsimus licet relegere. Nec minùs equidem solemne Referendarij nomen, vt ex nostrate præsertim historiâ constat, de quo planè idem statuendum quod de Cancellarij nomine præmisimus. Non vnus enim solus penes quem rerum ciuilium summa esset eo nomine donatus est, sed etiam qui sub illo merebantur, quod non obscurum in antiquâ rerum nostrarum historiâ, & id Bignonio animaduersum cùm notas eius nuper relegerem ipse mihi gratulabar. Sigebertus ex Aimonio: *Referendarius dicebatur ad quem publicæ conscriptiones referebantur, vt per eum annulo seu sigillo Regis confirmarentur.* De summo Referenda-

rio id accipiendum, nihilóque minus & qui ad ipſum eas conſcriptiones referebant, Referendarij appellati ſunt. Acta S. Boniti de quibus ſupra indicant ad diſtinctionem feciſſe, quòd adderetur is Referendarius annulum Regis habere. Annulum autem ſigillum intellige, quod manauit ex Romanorum more quibus annuli ſignatorij. Aimonius ipſe præit, & quæ hodiè ſuperſunt Regum noſtrorum ſigilla palam faciunt, cuiuſmodi fuerint eorum annuli. De ſignatoriis autem Romanorum annulis plus quàm ſatis qui de rebus Romanis noſtro ſæculo ſcripſerunt. Bulengerus nunc ſuccurrit, qui ſimul & de Refendariis ea colligit quæ ad pleniorem notitiam ſatis faciant. Meurſius & Gutherius hanc ſpartam luculenter exornarunt. Audoëni Acta neceſſitatem faciunt, vt de vocibus Auricularij, Silentiarij, & Apocriſarij non planè reticeamus, ibi enim pro ſynonymis cum Referendario & Cancellario accipiuntur. Et quidem Iulianus anteceſſor Auricularium interpretatur eum, qui ad diuinas aures cauſas refert, diuináſque iuſſiones iudicibus inſinuat. Græcis gloſſatoribus Auricularius ὠτακουστής, in qua ſignificatione Budæus eius vocis vim expendit accuratè in Commentariis linguæ Græcæ. In genere dici poſſet, Auricularium appellari, qui Regi gratioſus, quod hodiernis moribus conuenit, cùm de eo qui apud Regem fauore va-

let, vox ea sit popularis, *il a l'oreille du Roy*. Et quidem Acta Audoëni non videntur mihi operosiorem sensum habere, vt qui attentè illa legerit per se deprehendet. Atque de Silentiarij vocabulo similiter statuendum. Non enim potest videri synonymè vsurpatum cum Cancellario, vt ex iis quæ de Silentiariis certa sunt, manifestum fit vltrà quàm par est. Silentiarij siquidem quietis sunt ministri, qui circa latus Principis militare dicuntur, id de Audoëno Acta profitentur, vt Regi familiarem & quasi contubernalem significent. Nisi fortè alludunt ad silentij obseruantiam, quæ in gerendis negotiis peropportuna, imò & necessaria, religiosè ab Audoëno seruabatur. Sed de ancipiti Silentiariorum voce ac officio consuli possunt Meursius, Gutherius, Bulengerus, & alij. Denique Apocrisarium hæc Acta præter aliorum fidem & autoritatem Cancellarium appellant. Quod tamen magis probem, quàm quod Hincmarus scribit, Custodem Palatij seu Cappellanum eundem cum Apocrisario faciens, vnde suspectam malæ fidei haberi hanc epistolam non planè miror. Fauet quidem Audoëni Actis eius vocis significatio & interpretatio. Dubium enim videri non potest, quin Cancellarius Regi sit à Responsis. Repugnat tamen munus quod Responsalibus & Apocrisariis tribuitur, ij enim propriè sunt qui responsa peregrè fere-

ferebant. Quâ eadem ratione Capellano non potest dici conuenire. Apocrisarij vox frequentata Scriptoribus Ecclesiasticis, non perinde aliis in vsu fuit. Si quibus autem possit attribui, Legatis certè ac Missis Dominicis, quorum munus procul est ab officio Cancellariorum. Commoda igitur interpretatione hæc in Actis Audoëni emolliendа sunt. Quod exhinc reliquum videri potest vt etiam de Cancellario per comparationem ad Romanos Magistratus aliquid statuamus, & quo potissimum nomine censeri debeat inueniamus, difficultatem non habet concessuro in partes omnium ferè eruditorum, qui non alium volunt esse Cancellarium nostrum, quàm fuit qui olim Quæstor Palatij. Et is certè Iustitiæ veluti custos leges tractabat, petitionibus precibúsque subscribebat, & cum Præfecto Prætorio sacris iudiciis præsidebat. Quæ munera quidem sunt Cancellarij, at verò huius longè ampliora & magis absoluta, vt qui per se ac summo iure de rebus ad Iudicium Principis spectantibus cognoscat. Quod igitur Cancellarium Quæstori Palatino æquiparant, id eatenus accipiendum, vt intelligatur nullum esse cum quo illi magis conueniat, quanquam huius dignitas & autoritas multò sit augustior. Ex quo etiam sequitur non adeò temerè à nonnullis comparatum Cancellarium Præfecto Prætorio, in quantum scilicet summa Iudiciorum illi delata

eſt, cùm de reliquo, cum Magiſtro Equitum, qui nobis Comes-Stabuli, & Præfecto-Ærarij, qui nobis Intendens Financiarium, pro temporum varietate poſſit comparari. Adeò parum conuenit cum noſtris & Romanorum Magiſtratibus, vt non poſſit cuiuſquam per omnia æquabilitas inueniri. Quod pluribus de inſtituta Quæſtoris Palatij cum Cancellario collatione demonſtrarem, ſi tanti faceret ad inſtitutum noſtrum. Certè quod nonnulli Notariorum Primicerium, ſacrorum Scriniorum Magiſtrum faciunt Cancellarium, vt accommodatè ad noſtros mores loquuntur, ita ſatis ſignificant non eſſe cum quo ex Antiquis Magiſtratibus Cancellarius noſter æquiparetur. Atque hoc ipſum licet de Græcis quoque profiteri. Quod enim aliis Cancellarius noſter Νομοφύλαξ, habet optimè quantùm ad vocis ſignificationem. Verùm cùm apud Græcos Νομοφύλακας conſtet à primo conſeſſu ſummotos aſſediſſe tantùm παρέδροις, non poſſunt eiuſdem cum Cancellario noſtro dignitatis cenſeri. Quod aliis idem eſſe videtur cum Magno Logotheta maiorem probabilitatem habet, quanquam eius officium, vt apud Codinum deſcribitur, reſtrictius ſit & anguſtius, nec illi tanta dignitas quanta Cancellario conſtiterit. Relegi poteſt Meurſius in λογοθέτης. Certè vt Quæſtor ſacri Palatij πάρεδρος tantùm fuit, hoc eſt Adſeſſor (quam inter-

pretationem frustra sunt qui suggillant) ita & λογοθέτας καὶ νομοφύλακας. Et ad hæc quidem sententiam nostram de Cancellarij nomine delibasse, pro instituto satis est. De officio etiam breuiùs. Non enim animus mihi est ea persequi, ad quæ Iurisdictio eius extenditur. Nulla siquidem pars Reipublicæ ab eius cognitione atque autoritate vacat, vt qui Principis præsentis Vicarius, & absente, quodammodo Interrex censeatur. Iuris dicundi per vniuersum Regnum ipse princeps, Legum interpres & conditor, Gratiæ dispensator & administer, Magnus Logotheta, Nomophylax, sacrorum Scriniorum Magister, Notariorum Primicerius, Quæstor sacri Palatij, Præfectus-Prætorio in Iure dicundo, & quod vltra est ex hodiernis moribus, vt Cancellarius quoad ciuilia planè sit,

Non quem parte sui, sed in omni corpore sumpsit
Imperium.

Et quidem,

Hic est qui leges regni cancellat iniquas,
Et mandata pij Principis æqua facit.
Si quid obest populo, vel legibus est inimicum,
Quicquid obest per eum desinit esse nocens.

Igitur quod de Cancellario Vrbis prædicat S. Bernardus, id nonnullis paulisper immutatis de nostro debemus profiteri: *Nullum fermè fit in Regno bonum, quod per manus quodammodo Cancellarij transire*

non habeat, vt vel vix bonum iudicetur, quod eius non fuerit priùs examinatum iudicio, moderatum consilio, studio roboratum, & confirmatum adiutorio. Verùm si Cancellarius Regi manuum vice debet esse ad tribuendum quod ex iure ac iustitia est, ad beneficia insuper præstanda & dispertienda, etiam aurium officio fungatur necesse est, vt vota precésque miserorum exaudiat, & peruersorum mala consilia atque machinationes euentilet, ne quid detrimenti res publica capiat. Quare non satis est, vt quæ bona geruntur, eo vel autore, vel conscio, peragantur, sed ne quid etiam mali eueniat, quo vel priuati quique premantur, vel publicum offendatur, cauere debet, omnémque noxam procul amoliri. Dicerem & os Regis Cancellarium esse, vt qui mentem eius explicet, responsa det, oracula edictáque pronunciet, nisi protritum hoc atque vulgatum opus non habeat quod replicetur. Dicerem & oculos Regis esse, vt cui rerum prouidentia credita sit, adeóque in eminentissimâ speculâ sit collocatus, vt à longè dispiciat quid futurum in rei communis vel salutem vel perniciem immineat, nisi satius esset, ne vltra constitutos terminos transgrediamur, vno verbo concludere, idem Cancellarij atque Regis esse officium, vt rem publicam saluam florentémque præstet, quod enim Regi vt Domino, Cancellario vt Procuratori ef-

ficiendum incumbit. Caſſiodorus in eam rem, vbi formulas Præfecturæ Prætorianæ, Quæſturæ, Cancellariatus & alias ediſſerit, commodè relegi poteſt, non iuuat autem exſcribere quod nos in longum differret. Sed vt pro inſtituta breuitate finem faciamus, paucis demùm ſubſtringenda Cancellarij dignitas. Et ea quidem, ſi vel ex origine quam illi faciunt viri probatæ & indubitatæ autoritatis æſtimetur, facilè præſtantiſſima iudicabitur. Primam enim eius memoriam à Ioſepho non temerè repetunt, dignitas autem Ioſephi à Moyſe ita deſcribitur, vt nihil poſſit dici ad eius commendationem illuſtrius. Nimirum ad Ioſephum Pharao Cancellarium eum inſtituens ſic loquitur. *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Vno tantùm regni ſolio te præcedam.* Et iterum: *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti,* tum verò continenter Moyſes: *tulitque* (Pharao) *annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius,* (Ioſephi) *veſtiuitque eum ſtola byßina, & collo torquem aureum circumpoſuit, fecitque aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante Præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & ſcirent præpoſitum vniuerſæ terræ Ægypti,* &c. Eadem de Daniele atque Mardochæo in Hiſtoria Sacra leguntur, ex quibus certum eſſe poſſit apud varias gentes parem fuiſſe Cancellariorum dignitatem. Sed hæc quæ Iureconſulti recentiores copioſiùs exequun-

tur, verbo ſubindicaſſe ſufficiat. Noſtris equidem moribus haud diſſimiliter liceat de Cancellario ſtatuere, qui omninò à Rege ſecundus, adeóque Regi in ſacro interiori Concilio aſſidet, Magno præſidet, & in Curia centumvirali omnibúſque per vniuerſum Regnum iuridicis Conuentibus principem locum tenet. Sed & regia illi decora inſigniáque tributa ſunt, paludamentum inquam & focale, ac pileus auro gemmiſque rigens, quem earum rerum periti regium diadema interpretantur. Quem capitis ornatum Nomophylaces apud Græcos etiam prætulerunt. Quidni ergò Cancellarium noſtrum, Excelſi, Glorioſiſſimi, Excellentiſſimi, Eminentiſſimi, Magnificentiſſimi, Sublimis Magnificentiæ, titulis condonemus, quando his aliiſque conſimilibus exornati ſunt Præfecti Prætorio, Notariorum Primicerij, Quæſtores Palatij, ac reliquæ dignitates quæ in noſtro Cancellario quaſi coaluerunt. Addo Patriciatus dignitatem regiæ comparem, quod viri docti ſciunt & docent, noſtris moribus attributam videri Cancellario. Sic enim Aſclepiodotum, qui Guntchramni Regis Referendarius in Concilio Valentino II. legitur, S. Gregorius Papa datis ad eum epiſtolis Gallorum Patricium non ſemel appellat. Et hæc quidem leuiter nos defloraſſe, pro inſtituto quod cepimus, ęquus Lector boni conſulet, dum per tempus & otium integrum Commentarium elucubrabimus.

DE
REFERENDARIIS ET CANCELLARIIS FRANCIÆ,

SCHEDIASMA ALTERUM.

SIVE

CATALOGVS CANCELLARIORVM, multò tamen auctior quàm hactenus prodierit.

Auctiorem quidem ac nonnihil ornatiorem hunc Catalogum proferimus, amplius aliquid etiam præstituri, si quæ satis animo prauidebamus documenta nobis esse necessaria, ea opportunè succurrissent. Tantùm certè præstitimus, quantùm licuit ex tempore scribenti, & aliorum impulsu, rem per se difficilem, intricatam & perplexam retractanti. Eorum quos autores habuimus, fidem fere semper expressimus, certo quidem consilio, quod erudito cuique approbatum iri planè confidimus. De tempore minùs solliciti, ea etiam neglexsimus quæ solent inter peritos disputari, de prima Cancellariorum origine, de ordine quo alij aliis successerunt, & si quæ sunt huius generis: maluimus non improbabilem autoritatem sequi, quàm accuratiora consectando periculum facere veritatis. Æquum mihi Lectorem tantummodò deprecor.

MEROVEO & CHILDERICO Regibus.

VVINOMADVS, è Francorum proceribus, familiaritatis vinculo colligatus *Childerico* R. cuius ille omnia agebat consilio, apud *Aimo-*

nium l. I. cap. VII. Amicus & Consiliarius Childerici, nomine *Vuiomadus* in *Gestis Franc.* c. VI. Vid. *Gregorius Turon.* l. I. cap. XII.

CLODOVÆO I. Rege.

AVRELIANVS familiarissimus *Clodouæo* Regi apud *Aimonium* l. I. cap. XIII. legatarius eius & missus in Gestis *Francorum* cap. XI. & XII. Releg. *Greg. Turon.* l. II. cap. XXVIII.

S. MELANIVS Rhedon. Epiſ. supra pag. I.

CHILDEBERTO I. Reg.

VALENTINIANVS, qui pragmaticum *Childeberti* pro Ecclesia *S. Vincentij* (quæ nunc *S. Germani* Abbatia) recognouit, apud *Aimonium Breulij* l. II. cap. XX. Quæ particula in aliis editionibus frustrâ desideratur, cùm in hanc diem autographum ipsum supersit.

CLOTHARIO I. Reg.

BAVPINVS, aliàs *Balius* (vt est apud V. Clar. *Claudium Robertum*) cui & *Clotharij* nostri Referendarius ille, in Turon. Episc. 16. Quin & apud Gregor. Turon. l. IV. cap. III. *Obiit* Iniuriosus *Episcopus vrbis* Turonicæ, 17. *sui Episcopatus anno. Cui* Baudinus *ex domestico* Clotharij *Regis successit, sextus decimus post exitum B. Martini.* Lib. autem X. cap. XXXI. *Sextus decimus* Baudinus *ex Referendario*

Clo-

Clotharij *Regis, ordinatur Episcopus, habens & filium, multis eleemosynis præditus, aurum etiam quod decessor eius reliquerat amplius quàm viginti millia solidorum pauperibus erogauit. Huius tempore alter vicus* Nouiliacus *ædificatus est.* (de primo scilicet, agens de *Iniurioso*, meminerat.) *Hic instituit mensam canonicorum. Sedit autem annos 5. menses. 10. obiitque & sepultus est in Basilica S. Martini.* Nihil ergò certius, & omninò frustrâ sunt qui *Baudinum Tullensem* commentantur. vid. supra pag. 12.

Charigistvs seu *Charigisitus*, de quo *Greg. Turon. l. 1. de Miraculis S. Martini* cap. xxv. meminit in hæc verba : *His expertis*, Charigisitus *Referendarius Regis* Clotharij, *cui manus & pedes ab humore contracti erant, venit ad sanctam basilicam, & orationi incumbens per duos aut tres menses, à beato Antistite visitatus, membris debilibus sanitatem obtinere promeruit: qui postea antedicti Regis domesticus fuit, multáque beneficia populo Turonico & seruientibus beatæ basilicæ ministrauit.* Domesticum autem dicit, quem alij & ipse quoque familiarem aliquando vocat, quod propriè ad Referendarios pertinere, tum quæ in antecessum diximus, tum quæ in progressu recurrent, palàm efficiunt. Ex hoc porrò non minima curationi gratia conciliata est, quòd homo contractus & ad scribendum ineptus sacris scriniis Præfectus sit, hoc enim posteriora verba præferre videntur. De domestico autem præstat relege-

re carmen *Venantij Fortunati* ad *Condanum*, *lib.* VI. aliàs VII. vt variant editiones, facit enim non parùm ad rem nostram, vt etiam videri possit *Condanus* in hunc numerum allegendus.

S. GVNTRAMNO Reg.

S. FLAVIVS vel *Flauus, Cabilonensis* Episcopus X. ex Referendario Guntchramni Regis apud *Gregor Turon.* lib. V. cap. XLVI. Censetur à quibusdam inter Sanctos Episcopos Cabilonenses,& quidem primus, sed perperàm in monumento *Ioannis Germani* Episc. Cabilon. LXIX. Certè ad diem XXX. mensis Aprilis recolitur eius memoria in Calendario Cabilonensi. Releg. *Robertus* in Cabilon. Ep. *x.* & *Sirmond.* tom. I. Concil. Galliæ. Nos *Flauium* aliis non adnumerauimus, quòd eius memoria in aliarum Ecclesiarum tabulas non sit vindicata, præterquàm & aliæ rationes non desunt.

ASCLEPIODOTVS, vir illuster Guntchramni Referendarius in Concil. Valent. II. an. 584. cui & *Flauius* Episc. interfuit & subscripsit. Atque hic est, credo, qui Patricius in Galliis seu Gallorum *S. Gregor.* in epistol. quod anteâ meminimus. Quanquam Patriciatus dignitas videri potest potiùs militaris, vt de *Mummolo Abracula Celso*, & aliis *videre* est apud *Gregor. Turon.* lib. IV. cap. XXIV. & XXVI. atque aliis: verùm huius rei disquisitio iam nunc est intempestiua.

SIGEBERTO I. Reg.

THEVTHARIVS, de quo *Gregor. Turon.* l. IX. cap. XXXIII. Theutharius, ait, *presbyter, qui nuper ex Referendario* Sigeberti *Regis conuersus presbyterij honorem accepit.* Releg. & Iudicium Episcoporum Pictauis congregatorum apud eundem *Gregor.* lib. x. cap. XVI.

SIGGO seu *Sigo*, quem *Gregorius Turon. lib. III. de miraculis S. Martini cap. XVII.* Referendarium quondam Sigeberti Regis fuisse, atque cùm grauiter, audiret atque ad se sacra pignora B. Martini gestantem accessisset, à surditate sanatum memorat.

BOSO, ad quem extat *Venantij Fortunati* carmen *lib. VII.* Quod quidem sic habet.

Sic tegat Omnipotens radiantia culmina Regis,
Atque eius causas arma superna regant.
Sic dominum ac seruos diuina potentia seruet,
Et patriæ maneat hoc dominante salus.
Sic placido Regi summus pius auctor ab alto,
Qui dedit antè Petro, porrigat ipse manum.
Sic te longæui comitetur gratia Regis,
Et florente illo gaudia fixa metas.
Hoc rogo quàm citiùs veniat quicunque iubetur,
Ne grauet vltrâ animos hic mora tarda meos.
Nam qui festinat statuit quod certa voluntas,
Si votum acceleret, dulcius esse solet.

Illud enim nimium per verba precantia poſco;
Commender Domino te memorante meo.
Actibus extollens maneas per ſæcula felix,
Et memor ipſe mei dulcis Amice Vale.

Inſcribitur autem carmen in editione Pariſienſi, *Ad Boſonem quendam principem*, at in Colonienſi, *Ad Boſonem Referendarium*, quod optimè conuenit ad eius carminis ſenſum, & autoris mentem.

CHILPERICO I. Reg.

FARAMODVS ſeu *Pharamundus*, ad quem eſt hoc *Fortunati* carmen lib. VIII. aliàs IX.

Dulcis amice mihi, memorabile nomen amantis,
Promptus in officiis, vir Faramunde, bonis.
Si non ipſe adij, te pagina miſſa ſalutet,
Soluat & obſequium quod minus ipſe gero.
Commendéſque libens dominis me Regibus, oro;
Et referas grates pro pietatis ope.
Impenſo affectu me pagina veſtra requirat,
Hoc remeante tamen redde benigne vicem.

Inſcribitur *ad Faramundum Referendarium*, aliâs *ad Faramodum familiarem Regis.* Quod plurium Regum meminit, inde fit quod Chilperico conregnabant Guntramnus & Sigebertus. Neſcio autem ſi non *Faramodus* is eſt qui defuncto germano ſuo *Ragnemodo* Pariſienſi Antiſtite cum *Euſebio* ad Epiſcopatum concurrit (vt habet *Greg. Turon. l.x. hiſt. Franc. c.xxvi.*) ac poſtmodū obtinuit.

MARCVS, de quo *Gregorius Turon. lib. v. cap. xxix.* vbi de tributis à *Chilperico* Rege impositis, quorum causa *Lemouices* in Marcum Referendarium insurrexerint. Verba eius sunt: Lemouicinus *quoque populus cùm se cerneret tali fasce grauari, congregatus in Calendis Martiis*, Marcum *Referendarium, qui hæc agere iussus fuerat, interficere voluit: & fecisset vtique, nisi eum* Ferreolus *Episcopus ab imminenti discrimine liberasset.* Sed rebellem plebem condigna vltio subsecuta est, vt pergit Gregorius enarrare.

ELTRICVS quidam à *Fontenio* & *Bochello* hîc inducitur, autoritate litterarum, vt aiunt, *Chilperici* R. pro *S. Luciano* ad *Bellouacum*. Apud *Louuetum* tamen, qui res Bellouacenses diligenter perscrutatus est, nulla eius priuilegij mentio, fertur quidem *Childebertus* I. monasterium illud S. Luciani condidisse, *Chilpericus* reparasse, cuius litteræ, quas *Louuetus* non habet, extant apud *Belliforestum* in *Philippo* IV. & apud *Oiselium* infra citãdum.

CHILDEBERTO REGE.

CARIMERVS, qui & *Charimeres*, & *Caraimerus* aut etiam *Carinerus*, vt est apud *Roserium*, successor *S. Agerici* in Episcopatu Virdunensi. Meminit Gregorius Turon. lib. IX. Histor. Francor. cap. XXIII. *Charimerem*, ait, *Referendarium cum consensu ciuium regalis decreuit autoritas fieri sacerdotem.*

Hîc autem Referendarium interpretatur Roſerius à conſiliis ſupplicibúſque libellis, *Vaſſeburgius* tamen, & qui eum ſequitur *Robertus* Franciæ Cancellarium indigetant. Ita nonnunquam in ancipiti ſumus, quod in anteceſſum generatim animaduertiſſe ſatis fuit.

GALLOMAGNVS, *Gregorius Turon. lib. IX. cap. XXXVIII.* vbi de coniuratione in Childebertum & Brunichildem, *huius* (inquit) *conſilij ſocios pronunciat eſſe* Sunnegiſilum *Comitem Stabuli &* Gallomagnum *Referendarium*, &c. atque demùm; *At verò* Sunnegiſilus *&* Gallomagnus *priuati à rebus quas à fiſco meruerant in exilium retruduntur. Sed venientibus legatis, inter quos Epiſcopi erant à Rege* Guntheramno, *& petentibus pro his, ab exilio reuocantur, quibus nihil aliud eſt relictum niſi quod habere proprium videbantur.* Qui autem faciunt *Gallomagnum Carimeris* ſucceſſorem in *Virdunenſi* Epiſcopatu neſcio vnde acceperint, conſtat enim ex tabulis eius Eccleſiæ, quas *Vaſſeburgius Roſerius* & *Robertus* deſcripſerunt, *Carimeri* ſucceſſiſſe monachum Luxouienſem *Ermenfridum* nomine, nullum verò ſediſſe, cui *Gallomagni* nomen ex quo *Virdunenſis* Eccleſia inſtituta eſt. Ad hoc certè tempus *Gallomagnus* legitur Tricaſſinæ vrbis Epiſcopus in Concilio Matiſconenſi, & apud Venantium Fortunatum extat carmen ad *Palatinam Gallomagni* filiam, in gratulationem nuptiarum cum

Godegisilo Duce, vbi præ cæteris hoc distichon ad rem nostram potest pertinere

Iure quidem magna est quæ est Galli filia magni,
Sed merito natæ creuit honore pater.

Ex hoc enim suspicio est *Gallomagnum* Regi, vt diximus, reconciliatum Episcopali sede donatum fuisse.

OTHO, qui *Ægidium* Remensem Episcopum maiestatis reum de falsatis litteris, conuicit apud Gregor. Turon. lib. x. cap. xix. vbi inter cætera: *Tunc (Ægidio Episcopo) proferente easdem (chartas) in publico, negat Rex se largitum fuisse, requisitúsque Otho, qui tunc Referendarius fuerat, cuius ibi subscriptio meditata tenebatur, adfuit, negat se subscripsisse. Conficta enim erat manus eius in huius præceptionis scripto,* &c. Videsis & *Flodoardum* in historia Remensis Ecclesiæ. Porrò & hinc potest esse argumentum de temporaria Referendariorum functione.

CLOTARIO II. Reg.

ROBERTVS siue *Rôbertus, S. Angadrismæ* pater & S. *Ansberti* socer, de quo in ipsius *Ansberti* Actis quæ iam antè descripsimus. Hic autem ipse est qui & *Aubertus*, hoc loco perperàm ponitur à *Fontenio* & *Bochello*.

S. ROMANVS, cuius etiam Acta iam antè dedimus.

DAGOBERTO I. Reg.

S. LANDERICVS, posteâ Parisiensis Episcopus, de quo supra.

S. AVDOENVS, qui & Dado, de quo minimè omnium dubium esse potest. Acta eius habes suprâ.

HENRICVS quidam, & GERARDVS quoque in hunc ordinem & numerum conferuntur in vulgato illo Cancellariorum Schemate, idque pro fide litterarum quas dicuntur recognouisse, quo eodem argumento *Vrsinum*, & alios qui *Audoëno* Cancellario idem munus præstiterunt, accensere fas esset, vt ex Chartulario Sandionysiano constare potest.

S. ARNVLPHVS Metensis Episcopus in hunc quoque numerum cogitur à nonnullis, magis tamen placet Maiorem-domus fuisse, quod Acta eius & Veteres plerique profitentur. Certè, *Audoëno* Cancellario, litteris subscripsit pro Cœnobio *S. Dionysij*, tanquam *Metensis* Episcopus, quod videre est in collectione *Dubletij*.

S. SIGEBERTO II. Reg. & al.

S. CVNIBERTVS, cuius Acta præsto habes vbi suprà, hoc tamen iuuabit addidisse, quod sumptum ex Actis Episcoporum *Coloniensium*, quę *Gaspar Bruschius* collegit: *Rex* Franciæ Dagobertus

tus *filium suum* Sigebertum *haredem* Austrasiæ, *instituendum huic* (Cuniberto) Coloniam *transmisit. Oppidum* zuzatum *sua industria cum omni suo territorio* (*quod tamen sub* Theodorico de Morssa *defecit*) *Ecclesiæ* Coloniensi *adiecit.* Pipinus *Dux* Brabantiæ *ac Maior-domus* Franciæ *post* S. Arnulphum Metensem *Episcopum*, *hunc* S. Cunibertum *sanctitate illustrem omnibus suis negotiis intimum Consiliarium præfecit.* Atque hæc mihi videntur ex Actis quæ dedimus excidisse, commodum certè atque ad rem conuenientissimè fuerit si restituantur.

S. Bonitvs cuius à nobis Acta etiam descripta sunt.

CLODOVÆO II. Reg.

S. Avdoenvs qui supra. Videsis Chartularium Dionysianum.

S. Ansbertvs, quem *à Limburgo* quidam cognominant, sed præter fidem Actorum quæ nos exscripsimus, nisi fortè id gentis non patriæ nomen fuisse cōtendant, quod non est verisimile.

Geroardvs seu *Geroaldus*, qui sanctionem Regis pro priuilegio S. Dionysij obtulit, & subscripsit. Vid. Chartularium Dionysianum, & to. I. Concil. Galliæ Sirmondi ad an. 659.

CHILDERICO II. Reg.

Æneas, in donatione *Childerici* pro *Diony-*

ſianis apud *Dubletium*, quæ facta legitur IV. Kalend. Aug. anno regnantis Childerici x.

THEODORICO I. Reg.

Elevtherivs, in vulgato Cancellariorum Schemate, oriundus ex proſapia Ducum *Lotharingiæ*, & monaſterij fœminarum apud *Metim* Fundator, qui & ſub Clodovæo III. & Childeberto eius F. Cancellarium egiſſe ab aliis dicitur, ac demum ſæculo nuncium remiſiſſe.

Enoardvs ad cuius vicem litteras *Theodorici* Regis pro *Dionyſianis Gairebaldus* recognouit apud *Dubletium*.

CLODOVÆO III. Reg.

Elevtherivs qui ſuprà. Certè non improbabile videtur hunc ipſum eſſe qui ex *Môſellanorum* Duce *Hasbaniaque* Domino monaſticen poſtmodum profeſſus eſſe dicitur, apud *Roſerium*, nihil affirmo.

CHILDEBERTO II. al. III. Reg.

Bralamo, in donatione Regis pro Dionyſianis ſub die Martij XII. anno Reg. XII. apud *Dubletium*, & apud *Miræum* in Notitia Eccleſiarum Belgij, diſertè Cancellarium ſe inſcribit.

DAGOBERTO II. Reg.

S. Godegrandvs *Metenſis* Epiſcopus cu-

ius Acta ex *Vuarnefrido* transcripsimus. Et is quidem sub hoc *Dagoberto* Cancellarium iam egisse à quibusdam scribitur, certius nobis visum sub *Carolo Martello* Principe, ac *Pipino* Rege meruisse.

CHILPERICO II. Reg.

RAGANFREDVS in litteris *Chilperici* pro *Dionysianis* prid. Kal. Mart. an. R. 2. apud Dubletium.

THEODORICO II. Reg.

MELIADALVS seu *Meliardus*, quem frustra sunt qui Parisiensem Episcopum fuisse volunt, nec sunt puto certiora quæ de gente ac familia eius feruntur, vt etiam subdubitem qua nobis fide inductus sit. Sed eum ex *Feronio Fontenius*, & *Bochellus* recensent.

PIPINO Reg.

RODALGVS seu *Rodolgus*, qui agnoscitur, ex charta pro Ecclesia Matisconensi quam in *Domnolo* descripsit *Seuertius*, *Pipino* adhuc Maiore-domus Cancellarium egisse, noster est haud dubiè *Godegrandus*, vt ex varia nominis eius inflexione dignosci potest, quod in antecessum obseruauimus. Sed omnium minimè videtur conuenire quod in *Stephani* II. epistolis legimus, in quibus *Droctegangus* dicitur. At verò frustrà ipse sibi pro alio substituitur.

VVIDMARVS, EGVIS siue EGIVS FRANCO & BADDILO, ex ordine *Pipini* Regis diplomata recognouisse inueniuntur, qui si & Cancellarij fuerunt, quanto iam numero prouenient?

BONIFACIVS Archicancellarius in priuilegio *Pipini* pro *Epternacensi S. Vuillibrordi* monasterio sub III. Non. Maij 572. apud *Miræum* in Notitia Ecclesiarum Belgij. Ex tenore autem ipsius priuilegij *Bonifacius* ille non alius videtur fuisse quàm *S. Bonifacius* Archiep. *Moguntinus*, quod iudicandum peritioribus relinquo.

ITHERIVS, seu *Hitherius*, qui postrema Pipini diplomata recognouit, de quo, sicut & de aliis, docebit te Chartularium Dionysianum. Is autem est (nisi admodùm fallor) qui *Stephano* III. Papæ in ep. ad *Bertradam* Reginam, *religiosus ac prudentissimus vir, & reuera noster*, ait, *& vester sincerus fidelis*, &c. *Hadriano* autem Papæ epist. 6. ad Carolum Mag. *religiosus Abbas*: *Anastasio* denique in *Hadriano* I. Ætherius *religiosus ac prudentissimus Capellanus & Notarius Caroli Magni*, de quo etiam illud ad rem nostram apud eundem Anastasium Bibliothecarium: *Apparem ipsius donationis* (quam Carolus Ecclesiæ Rom. fecerat) *per eundem* Ætherium *adscribi faciens, ipse Christianissimus Rex Francorum intus super corpus B. Petri, subtus Euangelia quæ ibidem osculantur, pro firmissima cautela, & ęterna nominis sui ac Regni Francorum memoria, propriis suis manibus posuit.*

CAROLO MAGNO Reg.

ITHERIVS qui ſuprà.

RADONVS etiam quidam non temerè colligitur ex priuilegio Eccleſiæ *Aquiſgranenſis*, quod habet Miræus in Notitia Eccleſ. Belgij.

LEDVARDVS *Matiſconenſis* Epiſcopus, apud *Robertum* & *Seuertium* XIII. Archicancellarius noſter ab ipſo *Carolo* dicitur, in diplomate pro Eccleſia *Matiſconenſi*, quod *Seuertius* ex integro deſcribit.

VVICHARDVS, qui & *Guichardus*, *Leduardi* ſucceſſor, & ipſe ſimiliter Archicancellarius ex eiuſdem formæ litteris aſſeritur, quæ extant etiam apud *Seuertium*. Sed me ſuſpicio inceſſit, hunc vtrique titulum honoris cauſa delatum eſſe, abſque re tamen & functione, quod non temerè mihi videor ex tempore quod vtrique tribuitur colligere, cùm ad id tamen nullum exemplum præſto ſit, non poſſum quidquam affirmare.

BARTHOLOMÆVS, qui præceptum de terris *S. Eparchij Engoliſmenſis* ſcripſiſſe legitur. Sic nimirum anonymus eiuſdem loci Monachus à *Pithœo* editus in vita *Caroli* noſtri. *Quod præceptum*, ait, Bartholomæus *Cancellarius eius ſcripſit, & ipſe domnus Rex manu ſua firmauit, & de anulo ſuo ſigillauit.*

ERCENBALDVS, *Caroli* notarius, & in *Ligu-*

riam miſſus ad parandam claſſem, in Annalibus rerum geſtarum à *Carolo M.* quos *Iuſtus Reuberus* edidit. *Ercanbaldus* in Chartulario Dionyſiano, ad cuius vicem *Geneſius* literas Caroli R. recognouiſſe inuenitur. Eſt & *Archambaldus* Commentarienſis Imperij apud *Pithœum* in Vita *Ludouici Pÿ*. Vid. & Additionem IV. Capitulorum.

EINHARDVS ſeu *Eginarthus*, Archicapellanus & Notarius Imp. Caroli in peruetuſto *MSS. Laurishamenſi* apud *Iuſtum Reuberum*. Trithemius elogium hoc illi aſcribit. *Eginhardus Caroli Magni Imp. quondam Cancellarius, & poſtea Monachus ordinis D. Patris Benedicti, & primus Abbas monaſterij*, Salingenſtatenſis Moguntinæ *diœceſis ſupra* Mogonum, *vir in ſæcularibus literis eruditiſſimus, & diuinarum ſcripturarum non ignarus, ingenio acutus, eloquio diſertus, vita & conuerſatione præcipuus, Grecè & Latinè peritus tam metro quàm proſa excellens*, &c. ſcripſit plura quæ ipſe *Trithemius* enumerat. Sed & *Mirẹus Eginarthum* noſtrum Abbatem XV. monaſterij *Gandenſis* fuiſſe affirmat. In Annalibus denique Caroli Magni à Reubero editis miſſus legitur Eginhartus ad *Leonem* III. Papam pro partitione Regni, & conſtitutionibus pacis, quas Carolus ordinauerat confirmandis. Vid. & Annales Pithœanos an. 874.

LVDOVICO PIO I. Reg.

HELISACHAR Abbas non ſemel rerum no-

ſtrarum Scriptoribus memoratus, quem Cancellarij officio functum plures chartæ Sandionyſianæ probant, quas licet apud *Dubletium* recognoſcere. *Agobardo Lugdunenſi* lib. de diſpenſatione rei Eccleſiaſticæ, reuerentiſſimus vir. Ibi autem agit de Synodo *Attiniacenſi*, cui *Heliſachar* noſter ex parte *Ludouici* Imp. adfuit. Vide Annales rerum à Ludouico geſtarum ad an. 827. & alibi. Nec dubito ſanè quin is ſit *Elizacar* Toloſanus Epiſcopus apud Aimonium, l. II. cap. IX. de tranſlatione S. Vincentij, de quo etiam releg. Catelius.

HILDVINVS, collectoribus noſtris & *Roberto* Franciæ Cancellarius, Archicapellanus, Abbas SS. Dionyſij, Germani, & Medardi, Epiſcopus Virdunenſis. Certè *Hincmarus* Apocriſarium & Preſbyterum vocat, *Lupus* verò *Ferrarienſis*, nobilitatis dignitatis & moderationis apicem atque communem Eccleſiarum magiſtrum. Sed de illius laudatione legendi *Trithemius*, *Sigebertus*, & alij. Vid. *Robert.* in Epiſc. *Virdun.* XXVIII. & in Abbat. *Sandionyſ.* XIX. *Hilduini* tamen fides traducitur in Pithœanis Annalibus, & mihi non ſatis certum, de eius vt ita loquar Cancellariatu, argumentum, vſquedùm occurrit. Alius eſt *Hilduinus* Abbas, & Bibliothecarius in Conc. *Pontigonenſi.*

THECTO in præcepto pro Monaſterio *Rodenacenſi* apud Miræum in Notitia Eccleſiarum Bel-

gij, ad cuius vicem præceptum illud recognouit *Meginarius* Notarius. Is fortè qui *Theodo* in Chartulario Dionysiamo, ad cuius etiam vicem *Hirminmarus* notarius *Ludouici* litteras recognouit, quin & probabile est eum esse S. Martini Turonensis Abbatem, qui periit in prælio an. 834. in Annalibus incerti autoris apud Pithœum.

VVOLFARIVS, *Vulfarius* seu *Vulfardus*, &c. *Remensis* Antistes XXIX. Carolo Magno charus apud *Flodoardum*, de quo videndus *Robertus*, qui eum Franciæ Cancellarium profitetur, quod etiam præfert Chartularium Dionysianum, vt iam res non possit ambigua videri.

FRIDVGISSVS in Chartulario Dionysiano non temerè aliis quoque adscribetur, sed legendum puto, *Fridegisus*, & is quidem Abbas cum *Vulfario* qui præcedit, testamento *Caroli Magni* subscripsisse inuenitur.

LANCVLPHVS qui à nonnullis hoc loco ponitur, non potuit mihi certo quoquam documento innotescere.

CAROLO Caluo I. Reg.

INGELVVINVS seu *Ingelinus & Angelinus Parisiensis* Episcop. apud Robertum XLVII. Archicapellanus simul & Archicancellarius Caroli nostri. Vid. Capitularia Caroli Calui apud Carisiacum tit. XLIII. n. XV.

EBBO

EBBO siue *Abbo, Remensis* Archiepiscopus numeratur à *Roberto* inter Prælatos Franciæ Cancellarios, non video tamen quid illi suffragetur, quòd si verum est, Ingeluuinum nostrum præcessisse probabilius videtur.

LVDOVICVS, siue vt legimus in Chartulario Dionysiano *Hludouuicus*, Carolo nostro affinis, eiúsque Cancellarius, seu mauis Archicancellarius, *S. Dionysij* Abbas xx. de quo videnda Capitularia Caroli nostri, Dubletius, Robertus, Breullius, & alij. Hoc distichon est Vualafridi Strabi apud Canisium ex carmine ad *Ludouicum* nostrum.

Nam quamuis magnos mundi teneatis honores,
Non vos credo tamen spernere nos minimos.

GAVZLENVS qui & *Goslinus*, &c. Archicancellarius, vt se ipse inscribit in Concil. Pontigon. ex Abbate SS. Germani & Dionysij Parisiorum Antistes. Apud Aimonium Breullij Præsul Domini, Pastor benignus, & heros dulcissimus. Vide Capitularia Caroli Calui, Abbonem, Reginonem, & alios.

HERNICVS & RADVLPHVS, qui ascribuntur in vulgato Schemate illius tantùm mihi autoritate comperti sunt.

LVDOVICIS II. & III. & CARLOMANO Reg.

HVGO Abbas, vt mihi videor satis colligere ex epist. LXVIII. & LXII. *Ioannis* VIII. Papæ, quas

tom. 3. Concil. Galliæ Sirmondus recenſuit. In hac quidem Hugo nobiliſſimus Abbas inſcribitur, & ſublimitate, ſagacitate & gloria commendatur, in illa cum ipſis Regibus tanquam ſupremus Regni adminiſter coniungitur.

CAROLO CRASSO II. Reg.

LIVTVARDVS ſeu *Luituuardus*, in donatione pro monaſterio *Laurishamenſi*, apud *Miraum* in Notitia Eccleſiarum Belgij, & in præcepto pro Eccleſia *Cabilonenſi* tom. 3. Concil. Galliæ Sirmondi, Archicancellarius: & is fortè qui *Ioanni* VIII. Papæ Vercellenſis Epiſcopus, ad quem eſt eius epiſt. LXVI. qua commendat ei *Hieronymum* Epiſcopum *Lauſanenſem*, vt ſcilicet cauſam eius apud *Carolum* Regem procuret.

LINDBERTVS qui & *Luidbertus, Lutpertus*, Archiepiſcopus *Moguntinus*, circa hoc tempus Cancellarij officio functus fuerit neceſſe eſt, aut certè priùs etiam aliquantò, ſi verè Cancellarius fuit, vt agnoſcit Robertus in Mogunt. Epiſc. n. XLVIII. Relegi poteſt Serrarius in Archiepiſc. VIII. qui tamen ni fallor Cancellariatus (ſi fas eſt ita loqui) non meminit. Quin etiam idem ille poteſt eſſe qui præceſſit.

HAYMARDVS, qui ſub hoc Rege aſcribitur, & autore *Vaſſeburgio*, *S. Michaëlis* Abbas fuiſſe dicitur, mihi aliàs incompertus eſt.

ODONE Reg.

GVALTERVS, in donatione huius Regis pro monasterio S. Dionysij apud Dubletium. Et in eius quidem vicem *Heriueus* notarius subscripsit.

CAROLO Simplice III. Reg.

B. FVLCO ex Abbate *S. Bertini* & *S. Vedasti*, *Rhemensis* Archiepiscopus, & Archicancellarius in donatione pro Dionysianis apud Dubletium. Eius vita præclaris actibus gloriosa facilè colligi potest ex tomo x. Annalium magni Baronij. Trucidatus est Balduini Comitis iussu & fraude, atque inter cœlites repositus à *Molano*, *Mirao*, *Ferrario*, & aliis ad diem XVII. Iunij, quia tamen eius memoria non est Ecclesiæ iudicio vindicata, reliquis non accensuimus, quos sanctitate illustres celebrauimus. Memorabile habet elogium in Epitaphio quod *Flodoardus* describit,

Germine nobilium quem Francia protulit ortum,
Auláque de scholis sumpsit & excoluit.
Hunc Deus assumptum statuit virtute probatum
Ecclesiæ speculum, pontificémque pium.

Tum & hoc alterum:

Orbis honor, patriæ tutor, pietatis amator,
Pro studio pacis confoditur iaculis.

Relegendus præter eos quos laudauimus Cl. Robertus in Rem. Archiep. n. XXXII.

AVSKERICVS, qui & *Aucheric9*, *Anſcheri-cus*, *Albericus*, *Pariſienſis* Epiſcopus, Cancellarius & Archicancellarius, vt plura diplomata, cùm apud Dubletium in ſua collectione, tum apud Miræum in Notitia Eccleſiarum Belgij palam faciunt. Laudat eum *Abbo* eleganti hoc diſticho:

Nobilis egregiúſque, ſacro pompatus honore,
Totius Anſchericus virtutis germine clarus.

Eſt apud Robertum XLIX.

ROTGERVS, qui & *Rutkerus*, *Rotgarius*, &c. *Treuirenſis* Archiepiſcopus apud *Robertum* LXVIII. Summum autem fuiſſe Cancellarium plura documenta & diplomata ſuffragantur. Videſis *Robertum* & *Miræum*, atque *Gaſparem Bruſchium*. Et hic quidem *Ruitpertum* noſtrum (ita enim vocat) Decretorum librum edidiſſe, quæ per ſuos Suffraganeos approbari & in mores induci procurauerit, affirmat.

HERIVEVS ſeu *Herueus*, *Remenſis* Archiepiſcopus, ſummúſque Cancellarius, vt habent quamplura diplomata, cùm apud *Dubletium* in Cartulario Dionyſiano, tum apud *Miræum* in toties laudata Notitia Eccleſiar. Belg. atque etiam apud *Aimonium Breullij*, lib. v. cap. XLII. Relegendus & Sirmondus tom. 3. Concil. Gall. & Robertus in Rem. Archiep. n. XXXIII. imprimis verò Flodoardus in hiſtoria Remenſis Eccleſiæ. Fruſtra eſt, ni fallor Miræus, qui *Carolo Craſſo* tribuit litteras

Heriuei nomine ſubſcriptas in citata ſæpiùs Eccl. Belg. Notitia.

RVDOLPHO Reg.

THEODERICVS Archiepiſcopus & Cancellarius in præcepto eiuſdem Regis pro *Romano* monaſterio apud Ducheſnium in Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem, vbi pro an. DCCCCLXXXVIII. leg. DCCCCXXXVIII. Et Theodericus fortè Aurelianenſis Epiſc. L. dictus fortè Archiepiſcopus ob dignitatem Cancellarij quam gerebat.

LVDOVICO Vltramarino IV. Reg.

ROGERIVS, qui & *Rorigus* quidam non aliter mihi notus quàm ex chartis San-Martinianis, quę in Bibliotheca Cluniacenſi proſtant, & Ludouico huic noſtro tribuuntur. Idem fortè qui ſupra Epiſcopus Moguntinus ſub Carolo Simplice.

ARTOLDVS ſeu *Artaldus Remenſis* Archiepiſcopus XXXVI. ex Monacho S. Remigij, quem Cancellarium fuiſſe fidem faciunt documenta quæ *Miræus* habet, atque *Ducheſnius* in Bibliotheca Cluniacenſi; & in vna quidem ex chartis San-martinianis *Acardum* ſcriptum credo pro *Artaldo*, quod non eſt infrequens. Vide hiſtoriam Archiep. Remenſium.

ERICVS Epiſcopus in præcepto eiuſdem Regis apud *Ducheſnium* in Notis ad Bibliot. Cluniac.

LOTHARIO Reg.

ARTOLDVS qui ſuprà, vt conſtat ex monimentis apud *Miræum* & *Ducheſnium* iam laudatos, in quibus diſertè Archicancellarius dicitur, *Lotharium* Regem ipſe vnxerat.

ADALBERO, & ipſe *Remenſis* Archiepiſcopus, ſummúſque Lotharij Cancellarius, in præcepto pro *Marchianenſi* Abbatia in Notitiâ Eccleſiarum *Belgij*, meminit & aliunde *Robertus* in Rem. Archiep. n. XLVIII. Hoc ei Epitaphium in Baſilica maiore poſitum eſt non alienum à re noſtra:

Contulerat natura parens quæ ſumma putauit
Ad meriti cumulum tibi Præſul Adelbero, cùm, te
Præſentem cunctis mortalibus, abſtulit Orbi,
Quinta dies fundentis aquas, cum pondere rerum.

Inunxit *Hugonem Capetum*, &c.

LVDOVICO V. Reg.

ADALBERO, qui ſuprà, vt admodùm probabile videtur. *Ludouicus* enim patri corregnauit, & ab eius morte annum non expleuit.

HVGONE CAPETO Reg.

GENESERICVS *Hugonis* noſtri ſummus Cancellarius fuiſſe fertur, ex fide veteris chartæ quam mihi videre non contigit. Habetur in Vulgato Schemate quod Fontenius ex aliis apparauit, & Bochellus recognouit atque recenſuit.

RAYNARDVS seu *Ragenoldus* aut *Raynoaldus Burchardi* Comitis F. *Parisiensis* Episcopus apud Robertum LVIII. de quo legendus Odo Fossatensis in vita Burcardi Comitis.

S. ROBERTO Reg.

RAYNARDVS, qui suprà.

ABBO, Episcopus summúsque Cancellarius, ex charta quam descripsit *Andreas Duchesnius* in historia genealogica gentis Mommorantiæ. Sed quinam ille, aut cuius sedis Episcopus mihi constare non potest. Lego quidem *Abbonem Felicem Tricassinum* Episcopum, *Abbonem* quoque *Antissiodorensem*, tertium etiam *Abbonem Niuernensem*, sed maiores ætate, quàm vt eis conuenire possit. *Abbo* etiam Suessionensis sub hoc tempus legitur, cui omnium optimè videri posset conuenire.

ROGERIVS, ex Cancellario Franciæ *Bellouacensis* Episcopus XLI. apud Robertum, qui autorem habet Odonem Fossatensem. Sepultus est *Rogerius* in Choro Bellouacensis Ecclesiæ cum hoc epitaphio,

Hoc quod dotata est Comitatu Ecclesia tanto,
Iure mihi acceptum grata referre potest.
Vos quibus hæc data sunt, saltem præstate sepulto,
Ne malè re patria dicar abusus ego.

Comitatum scilicet Bellouacensem Ecclesiæ

comparauit. Releg. Robert. in Bellouacenſ.

FRANCO, *Pariſienſis* Epiſcopus LX. & ipſe Cancellarius, quòd multa illius ætatis monumenta docent, de quibus ſicut & de Francone leg. Robertus in Pariſienſ. Epiſcop.

B. FVLBERTVS *Carnotenſis* Epiſcopus, cuius ſanctitatem plerique viri magni & ipſi ſancti ac ætate *Fulberto* ſuppares mirè admodùm prædicant, nomen tamen eius in Eccleſiæ tabulas non eſt legitimè aſſertum, quæ cauſa fuit, vt Sanctis noſtris non adnumerauerimus. Collegerunt eius elogia, *Claudij* duo, *Villerius* in editione operum Fulberti, & *Robertus* in Carnot. Epiſc. LVI.

BALDVINVS, Cancellarius, & Archicappellanus quibuſdam, fauent litteræ *Roberti* noſtri plures apud *Ducheſnium* in hiſtoria Mommorenciaca, itémque aliæ in Notitia Eccleſiarum Belgij apud Miræum, nec aliter quidem *Balduinus* nobis innotuit. Nam quod de præcepto *Roberti* Regis pro *S. Germani* cœnobio circumfertur non temerè ſuſpectum habeo. Alia ſincera in Chartulario Dionyſiano reperiuntur.

HENRICO I. Reg.

BALDVINVS, qui ſupra, conſentiunt litteræ apud Ducheſnium in eadem hiſtoria.

PHILIPPO I. Reg.

GERVASIVS *Remenſis* Archiepiſcopus XLIII.

Hame-

Hamelini Bellesmensis Domini de *Castro-ledi* F. vir maximæ strenuitatis, linguâ facundus, iustitia insignis, nobilis genere, virtute nobilior, auri & argenti copia satis abundans, vt habent eius Elogia quæ *Robertus* collegit. Cancellarium fuisse *Philippi* nostri, quem adhuc septennem inunxit, consentiunt qui de Cancellariis scripserunt.

GAVFREDVS seu *Gofridus* & *Gottofredus Parisiensis* Episcopus LXII. *Eustathij Bononiensis*. F. patruus *Gothofredi Bullonij*, quem Cancellarium Franciæ fuisse consentiunt *Æmilio, Tillio*, *Meyero*, *Feronio* antiqua Chartularia. Litteras ab eo recognitas habet Duchesnius in historia Mommorenciaca. Sed de *Gaufredo* præstat *Robertum* relegere.

PETRVS & ROGERIVS, quos antè *Gaufredum* Cancellarios fuisse docent aliæ chartæ apud eundem Duchesnium sæpiùs laudatum. Et *Petrus* quidem ille est *S. Germani Pratensis* Abbas cognomento *de Loiseleuch*, *Aimonio Breullij* memoratus lib. v. cap. XLVIII. & in Cartulario Dionysiano, inter Abbates verò ipsos XXXII. annumeratus apud *Robertum*, vid. & *Breulij* catalogum in calce Aimonij. *Rogerius* & *Rotgerius* in chartis Sanmartinianis legitur.

IMBERTVS *à Gallione* à quibusdam hîc ascribitur, conuenit temporis ratio si ad an. 1092. Cancellarium egit, Collectores tamen ipsi non con-

ſentiunt, nec mihi aliud liquet quàm quod eorum autoritate ac fide nititur.

LVDOVICO Craſſo VI. Reg.

STEPHANVS *Pariſienſis* poſteâ Epiſcopus apud *Robertum* LXVII. de quo in omnibus Tabulariis mentio, præterquàm ad tumulum Cancellarij Franciæ titulus ei inciſus eſt apud Victorianos noſtros, cuius & ipſi beneficentiam in ſe ſuámque domum hoc altero epitaphio conſecrarunt.

Hic iacet inter oues Stephanus qui Pariſienſis
Extitit Eccleſiæ Paſtor, & huius ouis.
Hanc inopem paruámque nouámque pius pater auxit,
Extulit, ornauit, rebus, honore, libris.
Multa dedit multis, ſe nobis, pluſque daturus,
Si dare plus poſſet qui ſua ſeque dedit.

De nobiliſſima eius gente ambigitur. Relegenda hiſtoria Epiſcoporum Pariſienſium.

FVLCRADVS quidam, ſub eodem Rege Cancellarius fuiſſe colligitur ex chartis Sanmartinianis quæ proſtant in Bibliotheca Cluniacenſi.

SIMON, & ipſe Cancellarius atque Capellanus, tum ex iiſdem chartis, tum ex aliis quas Cancellariorum Collectores laudant, ſed *Fulcrado* poſterior fuiſſe inuenitur.

LVDOVICO Iuuene VII. Reg.

ALGRINVS, quem omnes agnoſcunt Cancel-

larium fuiſſe ſub *Ludouico* noſtro, ſuffragantibus etiam eius temporis chartis, quarum aliàs apud *Dubletium* in tabulario Dionyſiano aliàs apud Ducheſnium in hiſtoria Mommoranciaca præſto eſt videre. De *Algrini* gente quod alij aſſerunt, ad rem noſtram non facit. Vid. Robertum in Veſont. Epiſc. LXII.

NATALIS, in charta pro S. Luciani monaſterio apud *Antonium Oiſelium* in ſua *Bellouaco*, vbi ſeu in Commentariis de rebus Bellouacenſibus, & plures Regum chartæ quæ ad confirmationem noſtrorum Cancellariorum faciunt.

CADVRCVS, qui aliis perperàm *Cardinus*, ex fide quamplurimorum diplomatum Cancellarius aſſeritur. Videndi *Dubletius* & *Ducheſnius* iam iam laudati.

SIMON, & ipſe Cancellarius ad hoc tempus inuenitur in charta Mommoranciana apud *Ducheſnium*. Sed quid ſi tempus fallit, & idem ille ſit qui ſub anteriore *Ludouico* Cancellarium egit? Non admodùm certè mihi liquet.

HVGO, *Sueſſionenſis* Epiſcopus apud *Robertum* LVII. de quo ſingula penè tabularia fidem faciunt. Videſis Robertum & alios quos antehac laudauimus. De illius gente quæ in alterutram partem controuerti poſſunt, non pertinent ad rem noſtram.

PHILIPPO Augusto II. Reg.

Hvgo, qui suprà, ex diplomate in historia Mommorenciana.

Gvarinvs seu *Garinus Siluanectensis* Episcopus apud Robertum LI. de quo præstat *Rigordum* loquentem audire: Gaufrido Siluanectensi Episcopo *successit frater* Garinus, *qui cùm frater professus Hospitalis Ierosolymitani Regis* Philippi *Magnanimi specialiter consiliarius effectus, in aula regia, propter prudentiam & incomparabilem consilij virtutem, & alias animi dotes multiformes, ita laudabiliter se habebat, quòd quasi secundus à Rege negotia regni inculpatè tractabat, & Ecclesiarum necessitudines tanquam vir litteratus ad plenum nihilominus omni studio procurabat, libertates & priuilegia earum modis omnibus quasi sub chlamyde conseruans indemnes.* Vacauit diu Cancellaria sub *Philippo* nostro, vt constat ex omnibus penè tabulariis, nec fortè à verò aberit qui *Garinum* Procancellarium tantùm fuisse affirmauerit, videsis Chartularium Dionysianum. At de Garino præter Robertum legi potest historia Equitum Rhodiorum seu Melitensium.

Galtervs siue *Vvalterus* ex *Vasseburgio* summus Augusti nostri Cancellarius asseritur, fortè iunior ille apud Guillelmum Britonem.

--- qui cuncta reduxit
Ingenio naturali sensúsque vigore
In solitum rectúmque statum.

S. LVDOVICO IX. Reg.

IOANNES ALLEGRINVS seu *Algrinus*, quem aliquando Cancellarium egisse sub *Ludouico* nostro traditio est; certè Cancellariam longum tempus vacauisse constat ex Tabulariis Sandionysiano Sanmartiniano, & aliis, quod similiter sub decessore *Ludouico* VIII. contigisse vehemens suspicio est, illius quidem (quod sciam) litteræ nullæ ad nos peruenerunt. De *Algrini* gente, ac sepultura in Ecclesia S. Catharinæ Vallis Scholarium in vrbe, quæ feruntur pro certis & indubitatis accipio. Hoc ipso tempore viuebat *Ioannes Algrinus* ex *Bisuntino* Archiep. Cardinalis, vir Litteratissimus & scriptis clarus, de quo abundè *Chiffletius*, sed & Robert. in Vesont. Archiep. LXII. vbi de *Algrinea* gente plura.

PHILIPPVS *ab Antoniano*, sacri sigilli Custos, ac veluti Procancellarius fuisse per tempus quo Cancellaria vacauit à *Petro Miramontio* affirmatur.

PHILIPPO Audace III. Reg.

Cancellariam *Philippo* Rege vacauisse colligi potest, cùm ex Actis eius tum ex litteris. Et per acta quidem de Constabulario, Camerario, & Buticulario constare potest, cùm nulla interim Cancellarij memoria occurrat. Litteræ verò quarum

plures extant nullum Cancellarij nomen præferunt.

PHILIPPO Pulchro IV. Reg.

GVILLELMVS NOGARETVS, qui apud Æmilium perperàm *Hilermus Longaretus* Tolosas, cui Bonifacius Pontifex proditus, intrepida responsione ferociam eius fregit. Hunc autem ex Consiliario Parlamenti Cancellarium fuisse Collectores nostri tradunt. Nihil certè dispici potest ex litteris regiis, quas, à *S. Ludouico* per Cancellarios subscribi ac recognosci desitum est.

PETRVS A CAPPIS, inter Cancellarios annumeratur à *Miramontio*, ex fide monumentorum quæ apud Rationarios asseruantur.

PETRVS A BELLAPERTICA, quem in Cancellariorum ordinem autoritate *Paradini* & *MSS.* fide sunt qui vindicant. Fuit *Autissiodorensis* Episcopus LXVII. inter Iureconsultos celebratissimus, cuius est hoc sepulchrale Elogium:

--perplacidus verbis factis quoque fidus,
Mitis, veridicus, prudens, humilisque, pudicus,
Legalis planus, velut alter Iustinianus,
Summus doctorum, certissima regula morum.

LVDOVICO Hutino X. Reg.

IACOBVS DE OSSA vel *Eusa*, *Cadurcensis*, postmodùm Summus Pontifex *Ioannis* XXI. di-

cti XXII. nomine. Hunc Franciæ Cancellarium, *Vasseburgio*, vt volunt, autore, Collectores nostri agnoscunt. Acta viri tantæ dignitatis non possunt esse incognita.

PETRVS *de Reblaio* seu *de Arreblaio*, in Actis Ioannis XXII. Papæ, quem modò dicebamus, *Gallicus*, *Cancellarius Regis Franciæ*, Cardinalis factus ab ipso *Ioanne* Papa in prima creatione quam habuit. Consentiunt qui Nomenclatores Cardinalium ediderunt. Acta verò illa *Franciscus Bosquetus* antè biennium publici iuris faciebat. Non desunt alia eius dignitatis quam *Petrus* gesserit argumenta, ob quæ pridem in Cancellarios relatus est.

. . . . Episcopus *Maclouiensis* videtur quoque Cancellarius fuisse sub hoc Rege, ex litteris eius in Chartulario Dionysiano. Atque is fuerit necesse est *Radulfus Rosseleti*, seu *Mileti*, *Maclouiensis* XLV. ac postea *Laudunensis* LIX. de quo relegendus Robertus in vtroque indice.

PHILIPPO Longo V. Reg.

PETRVS, Cardinalis qui suprà. Quin & *Radulphus* Episc. *Laudunensis*, non temerè sub eodem Rege Cancellarius fuisse potest videri.

CAROLO Pulchro IV. Reg.

PETRVS ille *de Arrablaio*, cuius etiam frater

Ioannes in Caroli noſtri hiſtoria generis nobilitate ac fortitudinis laude commendatur.

PHILIPPO Valeſio VI. Reg.

IOANNES *de Cherchemont*, inter Cancellarios à Collectoribus noſtris vindicatus locum ſuum meritò tuetur. *Franciſco* tamen *Belliforeſtio* non *Ioannes*, ſed PETRVS dicitur, eúmque Annales noſtri damnant arrogantis & inſoleſcentis animi, pariterque laudant ab exquiſita doctrina & ſumma eloquentia.

PETRVS DE FORESTA, ex Monacho & Abbate *S. Dionyſij*, Franciæ Cancellarius, *Tornacenſis* & *Pariſienſis* Epiſc. ac demùm Archiepiſcopus *Rothomagenſis* atque Cardinalis à *Clemente* VI. creatus, vt habet Ciaconus & alij. Hunc autem *Philippo* noſtro Rege iam Cancellarium factum obſeruat *Belliforeſtus*, vbi de morte *Petri* Deceſſoris. Releg. *Robertus* in Epiſcop. & Abbatum Indicibus.

IOANNE Reg.

PETRVS *à Foreſta*, de quo in anteceſſum. Extat autem eius inſignis ad hoc tempus memoria in Tabulario Dionyſiano.

GVILLELMVS A MONTE-ACVTO, *Teroanenſis* Epiſcopus, Franciæ Cancellarius apud *Feronium* ſeu *Feronem*, ciuili prudentia & bellica fortitudine clarus. Meminit eius hiſtoria Anglicana.

Rele-

Relegendus Robertus in Episc. Bonon. XLIII.

HENRICVS A MELENTO, & ipse inter Cancellarios qui sub *Ioanne* nostro meruerunt transcribitur, quanquam & sunt qui differunt in aliud tempus, nec de cognomine prorsus consentiunt.

IOANNES DE DORMANNO *Bellouacensis* Episcopus, Cardinalis ab *Vrbano* V. creatus, ac postmodùm *Gregorij* XI. Legatus, de quo legendi *Breulius* in Antiq. Paris. *Robert.* in Bellouac. Episc. LXVIII. *Bosquetus* in historia Pontificum Gall. & alij qui de Cardinalibus scripserunt.

CAROLO Sapiente V. Reg.

IOANNES *de Dormanno*, qui suprà. Et is perperàm *de Normaniis*, optimè autem *de Dormannis* in *Bosqueti* Pont. historia.

GVILLELMVS DE DORMANNO, Ioannis germanus, qui ad breue tempus Cancellarij officio functus est, atque interim eo exautorato, vt nonnulli scribunt, aut morte potiùs sublato, quod aliis placet, ad *Ioannem* fratrem rerum administratio rediit.

MILO DE DORMANNO *Bellouacensis* Episcopus, & *Guillelmi* Cancellarij Filius, patri & patruo in eadem dignitate suffectus obseruatur à diligentioribus rerum nostrarum indagatoribus. De *Milone* autem *Breulius* in Antiq. Paris. & Ro-

bertus in Episc. Bellouac. LXX. Andegau. & Baionens. Sed & Milonis atque Decessorum cum elogio meminit *Antonius l'Oiselius* in sua Bellouaco.

PETRVS DE HORDEOMONTE *d'Orgemont*, ex Principe Senatus Franciæ Cancellarius, de cuius gente consulendus *Andreas Duchesnius* in historia Mommorenciaca, *Robertus* in Episc. Paris. XCI. *Petrus* autem iacet ad D. Catharinæ Vallis-Scholarium in vrbe cum pluribus ex suis, de quibus *Breulius* in Antiq. Paris.

PETRVS A GIACO in Cancellariorum quoque numerum à Collectoribus nostris refertur, quem & nonnulli *Petrum Orgemontium* præcessisse scribunt, quod ex historia *Caroli* VI. à *Ioanne Iuuenali Vrsino* scripta est verosimilius.

CAROLO Beneamato VI. Reg.

PETRVS ORGEMONTIVS, qui suprà.

ARNALDVS A CORBEIA, ex Principe Senatus in Cancellarium electus, vir eloquentia & rerum peritiâ insignis, cuius Acta collegit & breui complexus est *Antonius l'Oiselius* in Comment. rerum Bellouacens. Fratrem habuit *Ioannem Autissiodorensem* Episcopum apud Robertum LXXXVII. In nomine illius æui Scriptores atque recentiores non consentiunt.

EVSTACHIVS DE LAITRE, subrogatus *Arnaldo* populi factione, vt qui ob ætatem rebus gerendis

minùs idoneus diceretur. *Eustachius* autem partium Burgundicarum fautor per vices destitutus & reintegratus epidemia tandem sublatus est. Designatus fuerat Bellouacensis Episcopus, vt obseruat Robertus in Bellou. LXXIV.

HENRICVS MARLÆVS, *de Marle*, ex principe Senatus suffragiis in Cancellarium electus Rege præsente, qui postea indignum in modum cum *Bernardo Armeniaco* Equitum Magistro in ipsa vrbe cæsus est. Vid. Historiam *Caroli* VI. ab *Vrsino* scriptam, & notas *Theodori Gottofredi*, qui eam publico donauit. *Henrici* filius *Ioannes Constantiensis* Episcopus apud Robertum LX. Æmilio *Erix* Præfectus iuris.

YTHERIVS DE MONTROLIO seu *de Marolio* à *Feronio* interponitur *Arnaldo* & *Eustachio*, de quibus iam nunc, sed qua fide penes autorem esto. Meminit *Robertus* in Pictauiensibus Episcopis, cuius sedis Antistes *Ytherius* LXXX. ab eodem *Roberto* numeratur.

IOANNES A MONTE-ACVTO, *Senonensis* Archiep. XCII. qui & ipse inter Franciæ Cancellarios à Collectoribus nostris recensetur.

CAROLVS DE SAVOISY, & is ascribitur inter Cancellarios ab iisdem Collectoribus, memoratúrque à *Roberto* in Senon. Archiep. XCIII. cum pluribus ex eadem gente. In historia *Caroli* nostri quam *Ioan. Iuuenalis Vrsinus* scripsit lau-

datur *Sauoisiacus* à bellica fortitudine, fide in regem & animi magnitudine, vt appareat Equitem fuisse, non Cancellarium.

IOANNES CLERICVS, *le Clerc* ex principe Senatus *Henrici Angliæ & Franciæ*, vt falsò dicebatur, Regis Cancellarius.

LVDOVICVS LVXEMBVRGICVS, Episcopus *Teruanensis* seu *Morinensis*, & ipse operam suam prædicto *Henrico* præstitit, eiúsque Cancellarium egit. Postmodùm etiam Rothomagensis Archiepisc. & Cardinalis. Vide *Robertum* in Bonon. & Rothomag. Eum ego atque Decessorem, in hunc ordinem qui allegentur, indignos censeo, non debuerunt tamen excidere qui per alios & suum ipsi locum consecuti sunt.

CAROLO Victore VII. Reg.

REGINALDVS CARNOTENSIS, *de Chartres*, Archiepiscopus *Remensis* LXXIII. qui *Carolum* Remos perductum à *Ioanna* puella in Regem consecrauit, ac subinde Iuris Præfectus renunciatus est. *Attrebati* de pacis conditionibus pactus, Anglis demum expulsis, Senatum Parisiensem reuocauit, & suæ sedi restituit. Cardinalis creatus in Conc. Florentino ab *Eugenio* IV. Papa, *Cæsaroduni Turonum* post aliquot annos obiit, atque ibi ad Minoritas sepultus est. Vide *Robertum* in Remensibus.

MARTINVS GOGIVS, *Gouge*, Episc. *Claro-*

montanus LXXV. ex *Carnotensi* transcribendus in Cancellarios Franciæ, qui *Carolo* nostro suam operam præstiterunt, à *Roberto* ex antiquis monimentis obseruatur.

GVILLELMVS IVVENALIS VRSINVS, qui aliis *Ioannes*, Franciæ Cancellarius sub *Carolo* nostro, autoritate imprimis, tum etiam bellica virtute clarissimus, quod rerum nostrarum Scriptores ampliùs meminerunt.

IOANNES IVVENALIS VRSINVS, seu *de Vrsinis*, vir præpotens, & populo gratiosissimus, ac ciuili primùm gloria tum Ecclesiasticis honoribus eo tempore celebratissimus, *Guillelmi* seu *Ioannis* filius aut certè quod alij scribunt frater, Franciæ Cancellarius, ac demùm Remensis Archiepiscopus, qui dimissa Cancellarij dignitate *Ludouico* XI. Reg. restitutus est. *Sansouinus* librum singularem de gente *Vrsina* scripsit. De Ioanne autem nostro releg. *Robertus* in Arch. Rem. LXXV.

PETRVS MORVILLERIVS, cuius eloquentiam & infractum ad res gerendas animum historiæ nostræ commendant, sub extrema *Caroli* nostri tépora Ioannis Iuuenalis Vrsini locum capessiuit, & magna cum laude impleuit. Proauus fuit *Ioannis*, quem in progressu laudãdum habebimus.

LVDOVICO XI. Reg.

PETRVS MORVILLERIVS, qui suprà.

IOANNES IVVENALIS VRSINVS, de quo etiamin anteceſſum.

LVDOVICVS A BELLOMONTE *Pariſienſis* Epiſc. xcix. ex *Roberto* locum ſibi vendicare debet inter Franciæ Cancellarios, qui *Ludouicum* noſtrum ſua ope iuuerunt, Breulio tamen tantùm eſt Regis Conſiliarius, quod magis probabile videtur. Releg. ipſe Robertus in Pariſien.

PETRVS AVRIOLA, *d'Oriole*, ex ſupremo æraſij Præfecto Franciæ Cancellarius, *Vrſino* demortuo ſublectus eſt. Lucemburgicum Equitum Magiſtrum in Senatu capitis damnauit.

ADAMVS FVMEVS deſtituto *Auriola* Procancellarius, quem in *Antonio Fumeo*, *Sammarthanus* hoc elogio donauit: Vir eximia virtute & induſtria, qui *Ludouico* XI. Rege ſupremam iuris Gallici præfecturam adeptus eſt. Sed & *Fumei* nomen ſcriptis inclaruit apud noſtros, quod erit cum pro dignitate commendabimus.

GVILLELMVS RVPIFORTIVS belli & pacis artibus inſignis, & à laudatiſſimo rerum noſtrarum Scriptore *Cominæo* egregia laude ac ſingulari elogio æternitati conſecratus, maturo Regis iudicio in Cancellarium electus eſt. Vid. *Belcarium* Comment. rerum Gallic. lib. iv. Sed & de *Rupifortia* gente (*de Rochefort*) iam olim nobili & clara legendi, qui de illuſtribus apud nos familiis ſcripſerunt.

CAROLO VIII. Reg.

Gvillelmvs Rvpifortivs, qui suprà.

Robertvs Brissonnetvs, qui aliis perperàm *Guillelmus*, ob cognationem fortè nominis cum Decessore, ad iuris præfecturam ex Archiepiscopo Remensi assumptus, cùm iam ætate grauis esset. quare ad biennium totum non superfuit. Videsis Robertum in Rem. Archiep. lxxvii. & *Guidonem Bretonnellum* in historia eius gentis, vbi eorum errorem redarguit, qui Robertum cum *Guillelmo* fratre itidem Archiep. Rem. & Cardinale confundit, quod contigit *Belcario* lib. vii.

Ioannes Ganaivs, quem Carolus noster ad *Alexandrum* VI. Pont. aliquando legatum misit, fuit & Procancellarius à morte *Guillelmi Rupifortij*, vt ex *Ferronio* & *Belcario* facilè colligitur. Iuris tamen Præfectum, hoc est Cancellarium, *Ferronius* nominat. De quo infrà.

LVDOVICO XII. Reg.

Gvido Rvpifortivs, *Guillelmi* quem modò laudabamus gentilis, hunc *Philippus* Archidux summo honore *Atrebati* excepit, quod Annales nostri iucundissimè commemorant. Et quidem *Guido* non tantùm generis nobilitate, sed formæ præstantia & omnibus quę possunt desiderari animi atque ingenij dotibus par fuit tantæ dignitati.

IOANNES GANAIVS ſeu *Deganaius*, à *Franciſco Guicardino* multoties honorificè memoratus & digniſſimus Franciæ Cancell. Thuano l. I. de vita ſua, ex principe Senatus in eam dignitatem tranſlatus eſt.

STEPHANVS PONCHERIVS, decumbente ob ægritudinem *Ganaio* Procancellarius, ex *Pariſienſi* Epiſcopo *Senonenſis* Archiep. *Raulino* epiſt. I. vir gemina pollens ſcientia, vitæ & doctrinæ & verè ſanctus pater. Vid. Robert. in Pariſ. CII. & Senon. XCVII. Belcar, lib. XIII.

FRANCISCO I. Reg.

ANTONIVS A PRATO, ex Epiſcopo *Meldenſi* & *Albienſi Senonenſ.* Archiep. Cardinalis Legatus in Francia & Cancellarius, prius autem quàm ad Eccleſiæ dignitates transferretur Regius Aduocatus apud Toloſates & Senatus Gallici princeps, in quo prudentia, grauitas, integritas, doctrina ita elucebant, autore *Sadoleto*, vt ſolus propè omnium hominum tantis curis & negotiis quæ gubernabat par haberetur; ſiue vt alio loco meminit, vt nullum propè exemplum tale hominis rerum molem maximarum tanta facilitate prudentiáque moderantis, ne antiquis quidem temporibus videatur extitiſſe. Illius tamen memoriam non tam reuerenter *Belcarius* & *Thuanus* habuerunt. Vid. cùm noſtros tum exteros, qui de Cardinal. & Epiſc. ſcripſerunt.

ANTO-

Antonivs a Bvrgo ex Præside in Senatu Cancellarius factus est, habet hoc elogium in *Supplemento Bergomatis*: Vir & grauitate & prudentia ac consilio plurimùm excellens. De illius exitu *Belcarius* ad ann. 1538. hæc scribit: Sub æstatis finem *Antonius Burgus* Cancellarius aulicorum equitum turba oppressus, & mulæ lapsu humi prostratus, fato functus est.

Gvillelmvs Poietvs, ex Senatus etiam Præside Iuris Præfectus renunciatus est. *Belcario* lib. xxii. ad an. 1538. homo vernacula eloquentia facundus, sed ingenio malo prauoque. *Ferronio* superbus vanúsque homo, & certè *Poietus* Magistratu postmodùm abdicatus, & maiestatis postulatus, grauissimè multatus est.

Franciscvs Montholonivs, de quo præstat *Sammarthanum* audire in *Montholoniorum* elogio: Cùm solus (ait) inter cæteros Curiæ Parisiensis aduocatos *Caroli Borbonij* causam, aduersus *Franciscum* I. & *Lodoicam* eius matrem ipso in Senatu sedentes, intrepidè tuendam suscepisset, Rex etiam in aduersario iustus veræ virtutis æstimator, diuinâ hominis eloquentiâ sic affectus est, vt eum vltrò & fisci Patronum, & postea Senatus Præsidem, & mox, amoto *Guillelmo Poieto* Galliæ Cancellario, sacri sigilli custodem renunciaret.

Franciscvs Erraldvs *Alsoneus*, *Taurinorum* Præses, mortuo *Francisco Montolonio* Pro-

cancellario Franciæ in eius locum vocatur, cui Præses succedit *Renatus Biragus*, vir non minùs armorum quàm litterarum peritiâ clarus. *Pingonius* in Augusta Taurin. ad an 1543. *Sammarthani* fratres in historia genealogica Reg. nostr.

FRANCISCVS OLIVARIVS, post Senatorios honores & varia legationum officia ad supremum Cancellarij munus peruenit. Certabant in eo (ait Sammarthanus in præstantissimi hominis Elogio) virtutes omnes tanto fastigio dignæ, doctrina, iudicium, facundia, rerum vsus, integritas, &, quæ in eiusmodi Magistratu laudabiliter administrando primas agit, admirabilis animi constantia. *Thuano*: Vir suauitate ingenij, prudentia rerum vsu & integritate clarus. De quo & *Thuanus* ipse copiosiùs ad finem lib. XXIV. hoc est, ad an. 1560. quo *Franciscus* obiit, & *Sammarthanus* in singulari Elogio, quod diximus.

HENRICO II. Reg.

FRANCISCVS OLIVARIVS, qui suprà, non multò pòst à Rege aulicorum artibus circumuento dimissus, qua de re *Thuanus* & *Sammarthanus*.

IOANNES BERTRANDVS, *Oliuario* aulâ pulso, ex Præside Senatus Parisiensis, & anteâ Tolosani Primario, Procancellarius, túmque *Conuenensis* Episcopus, ac subinde *Senonensis* Archiep. &

Cardinalis. Designatus etiam Cancellarius, & multis aliis honoribus auctus, quos inscriptio tumuli apud *Victorellum* pleniùs eloquitur. *Thuanus* memoriam eius acerbè perstrinxit. De *Bertrandorum* gente apud *Tolosates* perantiquâ & illustri ex occasione plura obseruat *Robertus* in Senon. Archiepisc. c.

FRANCISCO II. Reg.

FRANCISCVS OLIVARIVS reuocatus à rege puero senex annorum sexaginta & quatuor, sed paulo pòst animi mœrore confectus naturæ concessit, vir publicæ quietis amans in Magistratu integer nisi vis maior incubuisset, *Bulengero*.

MICHAEL HOSPITALIVS, obscuro genere, sed animi virtute & ingenio pollens, omni reprehensione maior, cuius, si nouis istis opinionibus implicari se non passus esset, ad inuidiam vsque conspicuus vitæ fulgor excesserat; vt habet Bulengerus. Et Bulengeri quidem iudicium eò magis amplector, quò est moderatius & inter dissidentes de *Hospitalio* sententias magis temperatum. Certè vt in eum liberaliores & effusiores *Thuanum* atque *Sammarthanum*, ita paulò iniquiorem *Belcarium*, & hoc præeunte *Dupleixium*, facilè mihi persuadeo. Id verò imprimis ad solidam *Hospitalij* laudem pertinere arbitror, quòd nullo suo ambitu nullis cuiusquam suffragiis, sed solo

Procerum iudicio absens ipse ac peregrè positus culmen illud & fastigium dignitatis inter Togatos consecutus sit, quòd suaui ad *Hospitalium* carmine *Sammarthanus* pater ita canebat:

Postquam Regis amor sacra tibi munera cera
Commisit, primùmque Toga mandauit honorem,
O qui tum plausus populorum, & quanta fuere
Gaudia! nec sanè immeritò: res nam ipsa docebat
Aduenisse diem tot votis antè cupitum,
Cùm neque virtuti iam debita pramia desint,
Nec sola ambitio rerum ad fastigia tollat.

CAROLO IX. Reg.

MICHAEL HOSPITALIVS, qui suprà, sed post aliquot annos missione accepta in villam suam se recepit, vbi inter Musarum otia conquieuit.

IOANNES MORVILLERIVS *Aurelianensis* Episcopus apud Robertum cv.

A rege, à meritis, proauito à lumine clarus,
Forcatulo, qui apud Reges nostros ea virtutis opinione floruit, vt omnium pacis ac belli consiliorum particeps per totos triginta quinque annos grauissima quæque regni negotia domi forisque tractauerit, immortalique sua cum laude confecerit, apud *Sammarthanum*. Et is tamen talis tantúsque vir adduci vix potuit, vt Procancellarium ageret. Nam vt habet inscriptio ad tumulum,

quam raro gratitudinis exemplo *Belleuraeus* Cancellarius curauit, ſigillorum Franciæ procurationem à *Franciſco* II. oblatam, tandem *Carolo* IX. vrgente, cogente, ſuſceptam geſſit, inuidia maior, omnibus Ordinibus gratus, quadriennio poſt tanti muneris excuſationem inaudita modeſtia multis precibus impetrauit. Vir certè incomparabilis, morum ingeniique elegantia, bonarum artium ſcientia, iis vtendi peritiâ, clarus, facundia, prudentia, probitate nemini quem hæc ætas viderit ſecundus, quem ſumma in Principem fides, in patriam merita, gloriæ ſempiternæ conſecrarunt, in eadem Inſcriptione. Singulas tanti viri laudes *Sammarthanus* Latino Elogio, *Coſtaeus* noſter Gallico plenius complexi ſunt. Sed & Thuanus honorificè memoriam eius proſequutus eſt, hiſtoriar. lib. LXIV.

RENATVS BIRAGVS, illuſtri apud Inſubres loco natus, non ſolùm generis nobilitate, doctrina, rerum vſu, & ciuili prudentia inclaruit, ſed etiã ad ſuprema honorum faſtigia *Catharinæ Mediceæ* Regum noſtrorum matris gratia & fauore cum tempore perductus eſt. Nam *Carolo* IX. Rege & ſuperſtite adhuc *Hoſpitalio* Procancellarius, tum etiam Cardinalis, ac demùm Cancellarius effectus eſt. *Thuano*, vir generoſus ac prudens, ingenio candido & liberali præditus, qui & in ampliorem eius laudationem non illiberaliter effunditur. Iacet

ad D. *Catharinæ Vallis-Scholarium* Parisiis insigni monumento tumulatus, quod *Huraltus* Successor, ob consortium summi Magistratus, & amicitiam affinitate sancitam, perficiendum curauit. Petramellarius, & alij, qui de Cardinalibus scripserunt, in *Biragum* nostrum liberaliores fuerunt.

HENRICO III. Reg.

RENATVS BIRAGVS, qui suprà, demortuo sub initium aduentus *Henrici* nostri *Hospitalio* absoluta Iuris dicundi præfecturâ donatus est.

PHILIPPVS HVRALTVS, *Biragi* electione & commendatione sigillorum imprimis procurationem per aliquot annos sustinuit, atque demùm eo vita functo Cancellarius à beneuolo Principe renunciatus est. Fuit vir ingenio, prudentia, admirabilique in negotiis explicandis solertia ac diligentia præditus, tum præcipuè comitate & humanitate insignis, qua fiebat, vt nemo à conspectu eius tristis discederet, in Regni arcanis, prisci moris quem in Senatu olim imbiberat retinens, quibus per nouas leges ac instituta tam in ciuili quàm sacra disciplina quidquam derogari aut præiudicari, quantum in ipso fuit, toto Magistratu suo passus non est. Thuan. l. CXXIII. qui & laudes eius longiori oratione prosequitur. At verò Sammarthanus singulari & pleno elogio memoriam eius immortalitati consecrauit. De

gente *Huralta*, *Robertus* in *Æduens.* Episc. LXXXI.

FRANCISCVS MONTHOLONIVS *Francisci* Procancellarij sub cognomine Rege, F. *Huralto* in domum suam relegato, delatam vltrò sigillorum procurationem patris exemplo suscepit. Licet enim omnibus afflueret ingenij fortunæque bonis, quibus planum sibi & facilem ad honores aditum parare posset, eorum tamen petitione semper abstinuit. Vixque demum senior, & nihil iam tale cogitans, accersente *Henrico* III. ab ipsis Aduocatorum subselliis ad summum illud Reip. culmen est euectus, nec ita multò post eodem se sponte abdicauit, apud *Sammarthanum* in *Montholoniorum* Elogio.

HENRICO Magno IV. Reg.

CAROLVS BORBONIVS Card. *Vindocinus* dictus, & MARTINVS RVZÆVS, siue vt aliis placet ARMANDVS GONTALDVS BIRONVS, initio Regni sigilla penes se habuerunt. Thuanus lib. XCIX. rem sic enarrat. Cùm post *Henrici* obitum sigilla Regia, quorum procuratio *Francisco Montolonio* credita fuerat, siue vltro cedente ipso, siue inuito adempta essent, & initio Cardinali *Vindocino* commissa, mox cùm ea Rex penes se habere vellet, à *Vindocino*, qui *Cæsaroduni Turonum* procul à Rege erat, repetiit, cùm verò nulli certæ personæ attributa à *Martino Ruzæo* IV.

virum à ſecretis epiſtolis cuſtodirentur, ſæpè accidebat, vt *Armannus Bironus* armorum ſecundum Regem ſupremus dux, & *Franciſcus Dous* ærarij Præfectus haut benè inter ſe concordes, cùm conſilium haberetur, in diplomatis obſignandis diſſiderent, & alioqui ab hominibus regiarum conſtitutionum & iuris antiqui ac noſtri ignaris, quæ illum gnauiter ſcire oportet qui tanto Magiſtratu ornatus eſt, cuncta negotia peruerſo ordine agerentur magno Regiæ exiſtimationis detrimento. Ad hæc Thuanus.

PHILIPPVS HVRALTVS, annitente *Franciſco Doo*, & gratulante *Birono* in aulam reuocatus, res pro dignitate deinceps adminiſtrat.

POMPONIVS BELLEVRÆVS, qui aſſiduo obſequio & longo æuo meruerat (vt eſt apud *Thuanum*) ne quis alius ex aulicis ipſi præferretur, ab acerrimo ingeniorum æſtimatore Principe, ad clauum reip. omnibus applaudentibus & gratulantibus, ſine ambitu & ſuffragiis, vocatus eſt. Et *Pomponius* quidem vir fuit pietate, doctrina, magnitudine animi, & ſumma in Principem fide clariſſimus, quod inſcriptio ſepulchralis præfert, cuius gloria & diſerti oris facundia nullis terrarum limitibus continetur, vt qui ſui ſæculi Neſtor appelletur, eóque encomio celebretur, quod nunquam orator exierit, quin exorator reuerſus fuerit ad eos quorum nomine legatione fungebatur,

tur,

tur, apud Beyerlincum. Laudauit eum in funere *Petrus Fenoilletus*, *Montis-Pessulani* designatus Episcopus, vir incomparabilis eloquentiæ, & vnus omnium qui tanto viro parentaret dignissimus iudicatus. Non defuerunt deinceps eruditione clarissimi viri, qui *Belleuræi* memoriam certatim commendarent. Et quidem *Sammarthanus* pater præclaro elogio *Pomponium*, filius verò *Abelius* diserta laudatione gentem *Belleuræam*, celebrarunt. *Papyrius Massonus*, *Botereius*, *Beyerlinkus*, & alij studiosè suum symbolum contulerunt.

NICOLAVS BRVLARTIVS, *Sillerius*, vir nobilissimus & clarissimus, omnique virtutis laude celeberrimus, *Sammarthano* in Elogio *Belleuræi*, procuratoria primùm functione, tum legitima potestate Iuri dicundo præfectus est. Ad id delectus Principis iudicio, cui multis officiis virtutem suam fidémque probauerat. *Sammarthanus* filius in *Bernia* sua eleganti & suaui carmine res à *Brularto* benè gestas prosequitur, sicque demum concludit:

Prouidus hinc Princeps meritis pro talibus illum
Supremo sacræ Themidis præfecit honori,
Vt tanti secum ferat ardua pondera regni.

Nec temerè tertius Cato à quibusdam appellatus est, qui animi constantia & grauitate, iudicij maturitate, prudentia & rerum vsu nemini suo sæculo concessit, cui nisi se fateatur Gallia ex asse

debitricem ingrata erit, iudicio *Gabr. Bartholomæi Gramoundi*. Obiit in villa sua *Silleria Remensis* agri Calendis Octob. 1624.

LVDOVICO IVSTO XIII. Reg.

NICOLAVS BRVLARTIVS, qui suprà, sed abstentus ille per tempus rerum cognitione, postea etiam honorificè, & cum integra nominis sui fama reuocatus est, cuius auspiciis sacra Themis eiúsque gratissimæ comites Musæ semper floruerunt. Interim autem dum secessit *Brulartius*, Procancellarij plures fuêre.

GVILLELMVS VAIRIVS, Iustitiæ & litteraturæ politioris ornamentum, *Sammarthano* in Panegyrico secundo inuictissimi Principis nostri, quem suum Basilium Francia semper mirabitur, sed nunquam satis pro dignitate venerabitur, *Roberto* in Lexou. Episc. XLIII. qui & *Vairium*, *Claudiani* verbis meritò sic affatur,

--- Oracula Regis
Eloquio creuere tuo, nec dignius vnquam
Maiestas meminit Francorum se esse locutam.

Vairius enim non orando tantùm, sed scribendo etiam Eloquentiæ parentis nomen sibi non temerè vendicauit. Post Senatorios ille honores in Prætorio libellis supplicibus præfuit, & inde per difficillima tempora in Senatu Aquensi præsedit rara in Principem fide atque incomparabili for-

titudinis & constantiæ exemplo, quibus, omnium iudicio & confessione, promeritus est, vt reipæ clauum sine cuiusquam inuidia capesseret. Translatus etiam ad Ecclesiasticas dignitates & *Lexouiensis* Episcopus factus, virtutem suam atque pietatem maiori cum splendore & gloria explicauit. Non effugit tamen vir talis ac tantus fortunæ vicissitudinem, quam tamen extremo actu deuicit, abscessit enim aulâ, in quam reductus est cum maiore sui nominis gloria & bonorum desiderio quàm cùm primùm ingressus fuerat. *Sammarthanus* filius *Vairium Hospitalio* comparans & coæquans, hoc etiam vult esse prætergressum quòd,

--- Vairi genius felicior aurea reddit
Secula, páxque subit, subsequitúrque quies.

Sepultus est ad Bernardinos in vrbe natali *Lutetia*, cum epitaphio quod sibi ipse scripserat. Vid. *Robert.* in *Lexouiens.* Amplissimam verò eius laudationem *Gramoundus* lib. IV. cap. IV. pertexuit.

Clavdivs Mangotivs, ex Magistro supplicum libellorum primarius Burdigalensis Senatus Præses designatus, ac mox IV. viris à secretis cooptatus, etiam Procancellarius factus est, *Vairio* ad tempus ablegato. *Mangotij* nostri laudem perstringit *Sammarthanus* in Iacobi fratris Elogio, quocum non maior illi sanguinis quàm virtutum coniunctio, vt quæ de *Iacobo* prædicat *Sammarthanus* communia illi cum *Claudio* videan-

tur. Elogium igitur vtriusque vna eadémque manu perfecit.

Carolvs Albertvs *Luinius*, Equitum Magister, sacri sigilli custodiam post *Vairij* fatum, qui pulso *Mangotio* redintegratus fuerat, sibi sumpsit, vt paludamenti & togæ honores consociaret. Qua de re grauiter expostulat *Gabr. Bartholomæus Gramoundus* in hist. prostratæ rebellionis. At de *Carolo* proprius dicendi locus in Equitum Magistris.

Mericvs Vicvs, vir illustrissimus, authoritate, eruditione & integritate vitæ, longóque rerum vsu præstans, *Sammarthano* in Panegyr. II. Principis nostri gloriosissimi. Sed de *Vico Gramoundus* ad rem nostram: Ab *Aquitania* olim, natali solo, *Lutetiam* venerat, vbi post exactam bonis artibus adolescentiam, virilem ætatem maioribus regni negotiis insumpsit: exin ad primam senectutem delegationibus extra Gallici fines imperij gloriosè defunctus, sanctiore diu Concilio veteranus consedit, donec in decrepitam ætatem inclinans Procancellarij dignitate eo tempore donatus est, quo vita functo *Luinæo*, quem Comestabilem insimul & Procancellarium Gallia tulerat, togæ arbitrio cessere sigilla, quæ inter armorum licentiam sibi ensis addixerat, &c. *Sammarthanus* filius, *Vicum* hoc carmine affatur singulari Odarum libro,

---sacris studiis honesti
Deditus, raris animique fulgens
Dotibus, pulchro reuirescis ausu in
Turbine rerum.
Hinc pius nullos fugiens labores
Cogis ad frænos populum rebellem
Ore constanti, riguósque fundis
Nectaris imbres.

Vid. & lib. II. Carminum. Obiit *Vicus* in castris ante *Montem-pessulanum.*

LVDOVICVS FABER *Caumartinus*, vir prudens, qui regio iam insenuerat Concilio, apud *Gramoundum*, demortuo *Vico* ad sacri sigilli custodiam sufficitur. Rem breuiter & disertè *Sammarthanus* ad Regem verba faciens enarrat in laudato non semel Panegyrico. Intereadum (ait) Cardinalis *Retius* & *Vicus* Procancellarius fatis cedunt, non minimo rerum tuarum dispendio: augustum imperij tui sigillum fideles in manus *Petri Brulartij Piziæi* deponitur: & illius demùm cura defertur *Ludouico Fabro Caumartino* sacri Consistorij Assessori, virtutum cæterarúmque animi dotium laude cumulatissimo. Sed *Faber* vix ad tres menses in eam procurationem incubuit, qui vitam labis & sordium expertem gloriosa morte conclusit.

STEPHANVS HALIGREVS, secedente iterum *Brulartio*, qui regressus ad rerum administra-

tionem pro tempore fuerat, primùm Procancellarius, deinde illo viuis exempto Cancellarius efficitur. *Sammarthanus* filius digno cumprimis hoc carmine *Haligreum* affatur:

Pectora conciliat virtus, & in ardua semper
Tendit, & exornat titulis florentibus æuum,
Et meritis tandem dignissima præmia soluit.
Hinc tibi Rex sacri decus immortale Sigilli
Contulit, illustrésque Togæ sublimis honores,
Miratus niueos mores, & mellea linguæ
Flumina, iudiciique nouum solertis acumen,
Ingenium, atque annos vlla sine labe fluentes.
Felix qui populi applausu tot iusta fauoris
Signa refers, &c.

Robertus autem ad calcem Indicis Episcopor. Carnotens. Porrò inter alias (inquit) huius ciuitatis laudes hæc vel maxima censenda est, quod ea dederit Galliæ Cancellarium *Stephanum Haligreum* virum vndequaque illustrissimum, Franciæ merum mellitúmque delicium, Reip. litterariæ certius & solidius fulcimentum. Viuit hodie his superstes laudibus, & earum fructum inter ruris sui delicias colligit.

MICHAEL MARILLACVS, pietate, doctrina, rerum cognitione & vsu, natalium dignitate & incredibili studio Iustitiæ præcellens, apud *Sammarthanum* in tertio Panegyrico ad Ludouicum Reg. N. Iustissimum. *Haligreo* in domum

ſuam ſe recipienti ſuccenturiatus, & Procancellarij munere donatus eſt. Sed cùm res non ſatis proſperè, nec ad votum Regis ſuccederent, amotus eſt, auláque pulſus in ſeceſſu quietam & tranquillam mortem oppetiit.

CAROLVS ALBASPINEVS *Caſtronouius*, Abbas *Nigri-Lacus* & *Pratelorum*, variis & operoſis legationibus functus, & iam antè ad ſummam Togæ dignitatem non obſcurè deſignatus, ſuæ tandem familiæ & patriæ voto, quod eleganti carmine canit *Hugo Grotius*, ad clauum Reip. ſubleuatur. Sed ſpem Regis incertâ nobis & occultâ causâ fruſtratus, gratiâ optimi Principis & officio ſuo excidit. *Abelius Sammarthanus* gentis Albaſpineæ, atque adeo & *Caroli*, Elogium, Latino puróque ſermone conſcripſit.


PETRVS SEGVIERIVS, gentilitio & hæreditario Elogio quod publicis Tabulis continetur, integerrimus, humaniſſimus, feliciſſimus, &, quod fortunatè olim *Venantius Fortunatus* de Reg. n. Conſiliario canebat,

Nobilitate potens, animo bonus, ore ſerenus,
Ingenio ſolers & probitate ſagax.
Qui genus à proauis radianti luce coruſcat,
Moribus ipſe tamen vincit honore patres,

tot tantiſque dotibus promeruit, vt Optimi Principis iudicio & delectu, atque mortalium Eminentiſſimi ſuffragio, nihil tale cogitans aut

ſperans in ſublimiſſimum ac præcellentiſſimum honoris gradum efferretur. Quod factum, populus gaudet, Senatus lætatur, Aula ſuſpicit, omnes denique Ordines, è Reip. bono, communi voce profitentur, & ſera poſteritas, cùm recolet, ſi non ingrata eſſe volet, gratulabitur. Et iam tum equidem abſque metu offenſionis tanti viri memoriam pro dignitate liberum erit celebrare, nunc quando niſi læsâ temperatiſſimi hominis modeſtiâ in eius laudes excurrere non poſſumus, vel inuiti abrumpamus neceſſe eſt.

FINIS.



INDICVLVS AVTORVM ET LIBRORVM QVI CITANTVR.

A.



INDICVLVS RERVM
ET VERBORVM DE QVIBVS IN NOTIS ET VTROQVE Schediaſmate.

A.

Eusta

FINIS.

ADDENDA.

PAG. 206. sub PHILIPPO IV.

STEPHANVS, Archid. Brugensis Cancellarius Regis Franciæ apud *Bosquetum* in histor. Pont. ex *Bertrando Guidonis*. *Ciacono*, Stephanus Parisiensis, & Archidiaconus Bituricensis. Fuit autem creatus Card. à *Clemente* V. an. 1305. Obiit denique an. 1308. Auinione, vt est apud Ciaconum, ex Regesto *Clem*. V. VI.

Pag. 209. post lineam 1. Is omninò est *Ægidius Aysellini*, de quo apud *Bosquetum* inter Cardinales *Clementis* VI. Dominus Egidius Aysellini (in C.R. *Asselini*) de Monteacuto Aruernigena tunc Episcopus Morinensis & Cancellarius Regis Franciæ, quod non fallaci coniectura *Robertus* præoccupauerat. De *Ægidio* plura *Ciaconus*. Contigit fortè ob litteram solitariam G. qua se inscribebat vt pro Gillio Guillelmus dictus sit.

CORRIGENDA.

PAG. 9. *l*. 2 habita, *leg*. halitu. *Pag. 21. col. 2. l. 33*. Namque, *leg*. Namquæ. *Pag. 160. l. 12*. septem, *leg*. septa. *Pag. 181. l. 18*. reparasset, *leg*. reparasse. *Pag. 183. l. 21*. siue Robertus, *leg*. Rotbertus. *Pag. 188. l. 6*. Epternacensis, *leg*. Epternacensi. *Pag. 192. l. 9*. Magnus, *leg*. Magno. *Pag. 203. l. 9*. Vbi *expungendum & reponendum l. 10. post* Bellouacensibus. *Pag. 205. l. 14*. scriptus, *leg*. scriptis. *Pag. 212. l. 1*. fortitudite, *leg*. fortitudine. *Pag. 216. l. 7*. Pariensi, *leg*. Parisiensi. *Pag. 217. l. 20*. Franciscus, *leg*. Franciscum.

Alia leuiora irrepserunt, quæ Lectorem emendare non pigebit.

